Gimm, Rudolf
De Vergilii stilo
Bucolico quaestiones
selectae

Dem Klassisch-philologischen Verein zu Göttingen
d. Vf.

DE VERGILII STILO BUCOLICO QUAESTIONES SELECTAE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

RUDOLF GIMM

LIPSIENSIS

WEIDAE THURINGORUM

TYPIS EXPRESSERUNT THOMAS ET HUBERT

MCMX

tulerunt ad ordinis philologos de hac dissertatione

Heinze et **Bethe**

d. XV. m. Iulii a. MCMX.

Procancellario
Rohn.

PARENTIBUS CARISSIMIS

Tabula argumenti.

Index librorum.

G. A. Gebauer, De poetarum Graecorum bucolicorum imprimis Theocriti carminibus in eclogis a Vergilio expressis libri duo. Vol. I. Lipsiae 1861.

Ph.-E. Legrand, Étude sur Theocrite. Paris 1898.

G. May, De stilo epylliorum Romanorum. Diss. Kil. 1910.

E. Norden, P. Vergilius Maro Aeneis Buch VI. Leipzig 1903.

U. v. Wilamowitz-Moellendorff, Die Textgeschichte der griechischen Bukoliker. Berlin 1906.

Numeri versuum ad has editiones pertinent:

P. Vergilii Maronis opera. Iterum rec. Otto Ribbeck. Lipsiae 1894/95.

Bucolici Graeci. Rec. et emend. U. de Wilamowitz-Moellendorff. Oxonii 1905.

Catulli Veronensis liber. Rec. Aem. Baehrens. Nova editio a. K. P. Schulze curata. Lipsiae 1893.

Significavi Vergilii Bucolica littera: B., Georgica: G., Aeneidem: A., Theocriti carmina: Th.

ἄλλη ἑκάστῳ γένει ἁρμόττει λέξις.
Aristoteles.

Sermonem Bucolicorum P. Vergilii Maronis non omnibus partibus eundem esse atque aliorum carminum eiusdem poetae vel inde suspicabimur, quod, cum nomine poetae vere dignus esset, genus dicendi ad res varias tractandas aptavit. Nec vero solum res, sed etiam *τὸ ἦθος* quod dicitur aliud est in Bucolicis, aliud in Georgicis et Aeneide: nam ut in Georgicis labores curas delicias agricolarum Italicorum, qui ei cordi erant, celebravit et arte sua illustravit, ut in Aeneide admiratione et amore patriae imbutus primordia imperii Romani narravit, ita in his eclogis Musam suavem ludentem rebus mediocribus gaudentem Graecos poetas bucolicos secutus coluit. Itaque exspectandum est stilum horum carminum simpliciorem et venustiorem esse quam carminum epicorum. De stilo poesis bucolicae quid veteres iudicaverint, cognoscitur e prolegomenis antiquis ad Theocritum et Vergilium scriptis; inter haec plurimum de ea re discimus e quodam Anecdoto Estensi in J. Kayseri dissertatione Lipsiensi 1906: De veterum arte poetica quaestiones selectae pagg. 56 sqq. publici iuris facto; cuius in capite III, 6 haec leguntur: *τὸ βουκολικὸν ποίημα τὰ δύο* (scil. *τὸ ἁδρὸν* et *τὸ μέσον*) *ἐκφυγὸν τὸ ἰσχνὸν ἀσπάζεται . ἐννοίαις τε γὰρ ἀνάγκη χρῆσθαι προσηκούσαις ἀγροίκοις, ταύτας δὲ εὐτελεστάτας εἶναι ἀνάγκη . λέξεις τε ταῖς ἐννοίαις οὐκ ἀπᾳδούσας ἀνάγκη εἶναι· ἄλλως γὰρ ἀσύμφωνος αὐτὸς ἑαυτῷ ἔσται ὁ λόγος . συμπλέκει δὲ ὅμως αὐτῷ τὸ ἀνθηρὸν τῶν λόγων εἶδος, ὃ δὴ χάριν ὁμοῦ καὶ κάλλος ἔχον τέρπει καὶ ἥδει ὥσπερ ἄνθος τοὺς ἀκροατάς.* In hoc libro igitur aetate Byzantinorum scripto, cuius fons, ut plurimorum talium libellorum, ad opus quoddam Alexandrinorum redire videtur,

duo stili bucolici propria describuntur, i. e. tenuitas et suavitas.[1]) Sed videamus, quid Maro ipse dixerit de genere dicendi eclogarum. Saepius admonuit haec carmina humilia tenuia quin etiam rustica esse: cf. B. 3, 84; 4, 2; 6, 1 sq.; 6, 5. At nihilominus hanc poesim non mediocri laude dignam esse ait, velut B. 6, 27—30; 8, 2 sqq.; 9, 38; 5, 46 sqq.; 5, 81 sqq.;[2]) imprimis vero hae laudes in ecloga 5. carminibus Mopsi et Menalcae tributae nobis commemorandae sunt, cum iis locis haec poesis comparetur cum rebus non tam sanctis et magnificis quam iucundis et amoenis: cum quiete et haustu aquae frigidae, cum sibilo austri, strepitu undarum, murmure fluminum. Cognoscimus igitur Vergilium, id quod Graeci grammatici de Theocrito docebant, id studuisse, ut Bucolica et modesta simpliciaque essent et sermone dulci legentibus placerent. Quantopere hoc ei contigerit, nos docent poetae aequales, cf. Horatii sat. I, 10, 44:

molle atque facetum
Vergilio adnuerunt gaudentes rure Camenae.

et Ps. Vergilii Catalepton XV, 1, quo epigrammate de Vergilio agitur:

Vate Syracosio qui dulcior Hesiodoque
maior, Homereo non minor ore fuit.

Vergilium artificia, quibus eam suavitatem assecutus est, maximam partem, quoniam stilus artissime cum genere litterarum connexus est, ex Theocriti imitatione accepisse non mirum est. Sed quae sunt haec artificia dicendi, quibus ea tenuitas et suavitas granditati aliorum poematum contraria efficitur? Eorum quaedam saltem deprehendere conabor.

[1]) Haec verba: *χάριν*, *κάλλος*, cui verbo quidem significatio minus certa est (cf. P. Geigenmüller, Quaestiones Dionysianae de vocabulis artis criticae. Diss. Lips. 1908, pagg. 30 sq.), *τέρπει*, *ἥδει* non minus respicienda esse censeo quam metaphoram *ἀνθηρόν*.

[2]) Non mirum est Vergilium, cum aperte carminibus suis gloriari nollet, his laudibus solum partes eclogarum a personis cantatas extulisse.

Caput I.

De symmetria hemistichiorum et versuum.

Inter artificia, quibus Bucolica Vergilii imprimis abundant, magni momenti esse puto studium quoddam aequabilitatis membrorum. Quo suavitatem effici etiam rhetores docebant, cf. Demetrius, *περὶ ἑρμηνείας* § 154: *Πολλάκις δὲ καὶ κῶλα ὅμοια ἐποίησεν χάριν.* Nam talia membra concinna plerumque ad animos delectandos et permulcendos multo aptiora sunt, quam ad vehementer commovendos. Praecipue in eclogis membra grammatice eodem ordine coniuncta non solum sententia universa et longitudine, sed etiam ratione singulorum verborum sibi respondent atque paribus colis metricis continentur. Haec membra aequalia, quamquam a sermone epico non prorsus aliena sunt, tamen multo saepius in carminibus bucolicis adhibita esse demonstrare in animo habeo; deinde exponere conabor, unde id studium in genus bucolicum fluxerit. Sed mihi commemorandum est alios ea iam attigisse: Gebauer, l. l., pagg. 35—54, enim varia genera anaphorae a Theocrito Vergilio aliis poetis adhibita tractavit: cum autem usus anaphorae, qua membra aequalia inchoantur, arte cohaereat cum hac symmetria, iam apertum est multos locos eorum poetarum a nobis hic afferendos etiam in dissertatione Gebaueri laudatos esse. Sed primum locos omnes, quibus symmetria membrorum sine repetitione observatur, omisit, attulit exempla, in quibus singula verba sibi non respondent; deinde non quaesivit, num carmina bucolica in ea re ab aliis differrent. Idem in pag. 56sqq. de concinnitate et congruentia versuum egit. Primo loco brevissime nonnullos Theocriti et Vergilii versus laudat, quorum hemistichia sibi respondent: sed in nonnullis horum symmetria tantum sententia, non singulis notionibus nititur: rursus

quidam versus omissi sunt, qui insigniore aequabilitate compositi sunt. Deinde Gebauer tractavit symmetriam partium, quae per plurium versuum complexionem pertinet; nonnulla exempla ab eo laudata hic omittam, quia singula parum sibi respondent aut partes non eodem ordine coniunctae sunt vel sermonis variarum personarum sunt. Porro nonnullos locos eius generis Norden, l. l., pagg. 373 sqq., ex omnibus libris Vergilii contulit; neque vero universa exempla colligere voluit neque Bucolica ceteris carminibus opposuit.

§ 1. De symmetria hemistichiorum.

Primum proferam ea membra coniuncta, quae singulis notionibus sibi respondent atque intra singula hemistichia posita sunt. Quaedam vero praemonenda sunt: exempla huius concinnitatis mihi certioribus finibus circumscribenda sunt, quia numerum eorum cum numero talium versuum alibi adhibitorum conferre volo. Itaque primum hic non enumerabo versus eius generis, si quod verbum, quod non ad utrumque membrum pariter, sed ad alterum solum pertinet, extra fines eius versus legitur, velut „pingues" in B. 6, 4 sq.:

pastorem, Tityre, pingues
pascere oportet oves, | deductum dicere carmen.

deinde ea exempla omittenda esse censeo, in quibus aut singula tantum verba sibi respondent aut verba, quae sibi respondent, non maiorem saltem partem versus occupant, velut in A. XII, 572:

hoc caput, o cives, | haec belli summa nefandi.

tum non eos equidem versus afferam, in quibus bina de quattuor verbis eodem ordine coniunctis utrique hemistichio sunt, velut in G. IV, 336:

Drumoque Xanthoque | Ligeaque Phyllodoceque.

denique non enumeranda sunt ea hemistichia, quae tantum singulis substantivis et eorum attributis sibi respondent, ut in B. 7, 45:

muscosi fontes | et somno mollior herba,

nisi et substantiva et attributa significatione vere aequalia sunt.

Ac primum ad eos versus accedam, qui in pede tertio caesura vel semiquinaria vel trochaica inciduntur et membra parallela, ut ita dicam, in singulis hemistichiis habent. De caesuris quidem hexametrorum sententias virorum doctorum satis diversas esse notum est. Praecipue sunt, qui in caesura statuenda clausulam sententiae maxime respiciant, sunt alii, qui hanc minimum valere censeant. Quamquam illorum sententiam quoque plane refelli non posse fateor, tamen altera mihi quidem verisimilior visa est legenti, quae de ea re exposuit W. Meyer, Zur Geschichte des griechischen und lateinischen Hexameters, Sitz.-Ber. d. K. bayr. Ak. d. Wissensch. 1884 (cf. pagg. 999, 1049, 1059, 1061 sqq.): quem secutus caesuram semiseptenariam non constituam, nisi in tertio pede hexametri quicumque locus caesurae deest. Quamquam fortasse rectius sit in singulis quibusdam casibus iudicio liberiore ac sensui magis subiecto rem decernere, ego in incisionibus constituendis pari ratione uti debui, ne, cum certum aliquid exemplis numerandis demonstrare vellem, nimis meo arbitrio de versibus incidendis iudicavisse viderer.

Cum nobis non solum quaerendum sit, quotiens illa symmetria hemistichiorum inveniatur, sed praecipue intersit, utrum versus consilio an potius casu ita compositi sint, exempla in varias species digerere oportet, ut quasi gradus symmetriae discernantur. In ea re his rationibus utar. Plurimum interesse mihi videtur, utrum illa gemina membra aequabilia inter se sola coniuncta sint (I.)[1]) an cum aliis quoque membris eodem ordine connexa sint (II.)[2]); si enim hoc factum est, illa con-

---

[1]) Uncis inclusa hic addo signa, quibus varias species in exemplis enumerandis notabo.

[2]) Non in speciem II., sed in I. ea exempla ascribere aequum erit, in quibus aliud membrum, quamquam cum hemistichiis aequatis coniunctum est, cum iis non tam arte cohaeret, quam haec ipsa inter se; cf. B. 10, 13 sqq.:

illum etiam lauri, | etiam flevere myricae,
pinifer illum etiam sola sub rupe iacentem
Maenalus et gelidi fleverunt saxa Lycaei.

cinnitas minus insignis et petita esse videtur, quam si illa duo membra sola sibi opposita sunt. Deinde in multis versibus hic laudandis unum vel complura verba, quae grammatica ratione ad membra parallela pariter pertinent, alteri sive utrique membro inserta sunt (2.); qua re concinnitatem minus planam fieri, quam si hemistichia illis verbis communibus vacua sunt (1.), apparet. Tum ea exempla, in quibus membra adeo aequata sunt, ut plus bina verba accurate sibi respondeant (a), a ceteris (b) distinxi. Neque postremo nullius momenti est, quemadmodum membra coniuncta sint; nam maxime auribus ac mente percipitur illa symmetria, si cola anaphora (*α*) vel coniunctionibus correlativis: „et-et, aut-aut, etc.“ (*β*) connexa sunt,[1]) minus, si sine repetitione *ἀσυνδέτως* (*γ*), minime, si simplici coniunctione copulativa, qua aequabilitas tamquam obscuratur (*δ*).

Iam enumerabo exempla, quae in Bucolicis Vergilii reperiuntur, hoc ordine distributa:

I, 1 a.:

α) 5, 38: pro molli viola, | pro purpureo narcisso
carduus et spinis surgit paliurus acutis.

8, 80: limus ut hic durescit | et haec ut cera liquescit
uno eodemque igni, sic nostro Daphnis amore.

3, 56: et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos,
nunc frondent silvae, | nunc formosissimus annus.[2])

β) 3, 109: et vitula tu dignus et hic et quisquis amores
aut metuet dulces | aut experietur amaros.

7, 4: ambo florentes aetatibus, Arcades ambo,
et cantare pares | et respondere parati.

γ) 2, 18: alba ligustra cadunt, | vaccinia nigra leguntur.

4, 49: cara deum suboles | magnum Iovis incrementum.

[1]) Idem admonuit May, l. l. pagg. 80, 81.

[2]) Hunc versum sane cunctanter hic laudavi, quia notiones non ita sibi respondent, ut in aliis exemplis.

5, 40: spargite humum foliis, | inducite fontibus umbras.[1])
8, 55: sit Tityrus Orpheus,
Orpheus in silvis, | inter delphinas Arion.

I, 1 b:

α) 2, 19: nec qui sim quaeris Alexi,
quam dives pecoris, | nivei quam lactis abundans.
γ) 2, 39: dixit Damoetas, | invidit stultus Amyntas.
3, 58: incipe Damoeta, | tu deinde sequere Menalca.
4, 56: huic mater quamvis atque huic pater adsit,
Orphei Calliopea, | Lino formosus Apollo.
8, 50: improbus ille puer; | crudelis tu quoque, mater.

I, 2 a:

α) 2, 16: quamvis ille niger | quamvis tu candidus esses.
3, 56: quem versum modo exscripsi.
β) 3, 6: et sucus pecori | et lac subducitur agnis.
4, 63: nec deus hunc mensa | dea nec dignata cubili est.

I, 2 b:

α) 5, 35: ipsa Pales agros | atque ipse reliquit Apollo.
5, 76: dum iuga montis aper, | fluvios dum piscis amabit.
4, 6: iam redit et virgo, | redeunt Saturnia regna.
5, 66: ecce duas tibi Daphni, | duas altaria Phoebo.
3, 41: descripsit radio totum qui gentibus orbem,
tempora quae messor, | quae curvus arator haberet.
10, 13: illum etiam lauri, | etiam flevere myricae.
10, 22: tua cura Lycoris
perque nives alium | perque horrida castra secuta est.
β) 9, 16: nec tuus hic Moeris | nec viveret ipse Menalcas.

---

[1]) Hoc exemplum symmetriae ab aliis differt eo, quod de sententia magis verba „humum“ et „fontibus“, „foliis“ et „umbras“ sibi respondent.

II, 1 b:

α) 5, 32: vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,
ut[1] gregibus[2] tauri[3], | segetes[3] ut[1] pinguibus[2] arvis[2].

10, 19: venit[1] et upilio[2], | tardi[2] venere[1] subulci[2],
uvidus hiberna venit de glande Menalcas.

γ) 3, 80: Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,
arboribus[1] venti[2], | nobis[1] Amaryllidis[2] irae[2].

7, 37: Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblae,
candidior[1] cycnis[2], | hedera[2] formosior[1] alba[2].

7, 41: Immo ego Sardoniis videar tibi amarior herbis,
horridior[1] rusco[2], | proiecta[2] vilior[1] alga[2].

7, 65: Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis,
populus[1] in[2] fluviis[3], | abies[1] in[2] montibus[3] altis[3].

II, 2 a:

α) 10, 42: hic[1] gelidi[2] fontes[3], | hic[1] mollia[2] prata[3], Lycori,
hic nemus: hic ipso tecum consumerer aevo.

II, 2 b:

α) 1, 38: Tityrus hinc aberat. ipsae te, Tityre, pinus,
ipsi[1] te fontes[2], | ipsa[1] haec[2] arbusta[2] vocabant.

γ) 3, 80: quem versum paulo ante exscripsi;

3, 82: Dulce satis[1] umor[2], | depulsis[1] arbutus[2] haedis[1],
lenta salix feto pecori, mihi solus Amyntas.

Invenimus igitur in 829 versibus Bucolicorum 36 versus ita bipartitos; qui numerus pro rata parte satis magnus est. Quot cuique speciei sint, hic brevissime indico: I: 26. II: 10. 1: 20. 2: 16. a: 14. b: 22. *α*: 17. *β*: 5. *γ*: 14. *δ*: 0. De hoc indice nonnulla animadvertenda sunt. Primum apparet exempla sub signo II. collata multo pauciora esse quam speciei I.; illa si vero accuratius aspiciemus, in omnibus symmetriam non imminui, sed augeri propterea cognoscemus, quod complura verba eorum membrorum eodem ordine cum hemistichiis

parallelis coniunctorum verbis horum item bene respondent ac saepissime ea membra singula hemistichia tenent. Deinde versus, quibus signum 1. dedimus, item numero superant versus generis 2.; etiam commemorandum est nullum horum in singulis hemistichiis plus singula verba communia (si haec: „secuta est" „dignata . . . est" pro uno verbo duces) habere. Tum in versibus laudatis illa symmetria accuratior, quae littera: a signata est, pro rata parte saepe invenitur. Imprimis inde patet concinnitatem plerumque consilio poetae, non casu factam esse, quod membra saepissime anaphora neque raro coniunctionibus correlativis conexa, saepe quoque asyndeta sunt, numquam particula simplici coniuncta sunt. Animadvertas quoque velim libenter homoeoteleuta adhibita esse ad symmetriam insigniorem reddendam: 8, 80; 2, 39; 3, 58; 7, 66. — Sed ut cognoscatur, num iure hanc congruentiam aequalitatemque ad suave genus dicendi rettulerimus, quaeramus, qualis sententia horum locorum sit. Primum saepe haec figura adhibita est ad iucunditatem suavitatem copiam rerum describendam ac laudandam: cf. 2, 20; 3, 56sq.; 5, 40; 5, 66; 7, 5; 7, 65sq.; 10, 42; quo in numero habendae sunt etiam hae comparationes bucolicae, quas ab epicis valde differre apparet: 3, 80sq.; 3, 82sq.; 5, 32sq.; 5, 76sq.; 7, 37sq.; 7, 41sq. Deinde nonnumquam versibus ita compositis maeror, qui non vehemens, sed mollis et moderatus est, bene exprimitur: cf. 1, 39sq.; 5, 35; 5, 38; 9, 16; 10, 13; 10, 22. At exempla 4. eclogae ad suave genus dicendi pertinere negaverit quis, quoniam stilus eius grandior est. Considerantes vero in ea praecipue res dulces praedici et infantem maximam per partem appellari intelligemus suavitatem ab ea alienam esse non posse. Imprimis versus 49., qua est concinnitate, multo propior amoeno generi dicendi esse mihi videtur quam hic versus idem fere significans, cuius inaequalitas stilo heroico apta est:

A. VIII, 301: salve, vera Iovis | proles, decus addite divis.

Deinde versus 57., qui primo obtutu speciem elationis prae se fert, revera huic loco aliquid simplicitatis et quasi puerilis

suavitatis, ut equidem sentio, addit, cum nihil novi afferat, sed tamquam epexegesis sit. Similiter iudicandum esse censeo de versibus 2, 39 et 8, 56, quorum priora hemistichia e verbis praegressis repetita cum suavitate quadam aliis verbis opposita sunt.[1]) Sane mihi concedendum est in quibusdam versibus minus studium suavitatis quam consilium contrariorum magis efferendorum, quod apud omnes auctores invenitur, fuisse causam symmetriae: cf. 2, 16; 2, 18; 3, 42; 3, 58; 3, 110. Denique in versu 8, 80 symmetriam a Vergilio praecipue adhibitam esse, ut naturam carminum magicorum imitaretur, inter omnes constat.[2])

Ut appareat, num genus bucolicum revera eo artificio praeter alia poemata excellat, opus est alia carmina isdem versibus scripta comparare. Maxime idonea sunt reliqua opera huius Vergilii, ne quis discrimina si quae observantur ad varia ingenia auctorum referat. Ne quo casu falleremur, ex quattuor libris: ex I. et IV. Georgicorum et ex I. et XII. Aeneidis, quibus 2788 versus sunt, eos locos, qui cum illis versibus eclogarum conferri possunt, omnes collegi: quae exempla eadem ratione disposita haec sunt:

I, 1 a:

a) G. I, 341:

tum pingues agni | et tum mollissima vina,
tum somni dulces densaeque in montibus umbrae.

I, 1 b:

a) A. I, 699:

iam pater Aeneas | et iam Troiana iuventus
conveniunt,

---

[1]) Versibus 8, 55 sq. similes esse videntur primo hi versus:
A. XII, 546: hic tibi mortis erant metae: domus alta sub Ida,
Lyrnesi domus alta, solo Laurente sepulchrum.
sed hic epanalepsim ac symmetriam ad πάθος commovendum pertinere cognoscitur e membris gravi affectu oppositis; id de illis versibus Bucolicorum minime dici potest.

[2]) Cf. Gebauer, l. l., pag. 13. Norden, Die antike Kunstprosa, Leipzig 1898, II, pag. 820.

A. XII, 318:

has inter voces, | media inter talia verba
ecce viro . . . adlapsa sagitta est.

A. XII, 697:

at pater Aeneas audito nomine Turni
deserit et muros | et summas deserit arces
praecipitatque moras omnes, opera omnia rupit.

A. XII, 788:

olli sublimes armis animisque refecti
hic gladio fidens, | hic acer et arduus hasta
adsistunt contra certamina Martis anheli.

γ) G. IV, 309: visenda modis animalia miris
trunca pedum primo, | mox et stridentia pennis
miscentur . . .

A. I, 208: curisque ingentibus aeger
spem voltu simulat, | premit altum corde dolorem.

A. XII, 546:

hic tibi mortis erant metae: domus alta sub Ida,
Lyrnesi domus alta, | solo Laurente sepulchrum.

δ) A. I, 529:

non ea vis animo | nec tanta superbia victis.[1])

A. XII, 794:

Indigetem Aeneam scis ipsa et scire fateris
deberi caelo | fatisque ad sidera tolli.[2])

I, 2 a:

α) G. IV, 382:

precatur . . . Nymphasque sorores,
centum quae silvas, | centum quae flumina servant.

1) Hunc versum non in exemplis generis: a numero, quia notiones „animo“ et „victis“ parum sibi respondent.

2) Adnotandum est hos versus: A. XII, 29 et A. XII, 195 hic non laudatos esse propterea, quod alterum membrum in sequenti versu demum absolvitur.

A. XII, 745:

atque hinc vasta palus, | hinc ardua moenia cingunt.

A. XII, 814: pro vita maiora audere probavi,

non ut tela tamen, | non ut contenderet arcum.

β) A. XII, 439: te animo repetentem exempla tuorum

et pater Aeneas | et avunculus excitet Hector.

I, 2b:

α) G. I, 439: solem certissima signa sequuntur,

et quae mane refert | et quae surgentibus astris.

G. IV, 505:

quo fletu manes, | quae numina voce moveret?[1])

G. IV, 465:

te, dulcis coniunx, te solo in litore secum,
te veniente die, | te decedente canebat.

A. I, 120:

iam validam Ilionei navem, iam fortis Achati,
et qua vectus Abas | et qua grandaevus Aletes,
vicit hiems:

A. XII, 820:

pro Latio obtestor, | pro maiestate tuorum

β) G. I, 438:

sol quoque et exoriens | et cum se condet in undas
signa dabit:

A. XII, 135:

tum neque nomen erat | neque honos aut gloria monti.

γ) G. I, 509:

hinc movet Euphrates, | illinc Germania bellum.

---

[1]) Huius versus concinnitas maior redditur, si aut cum codice Romano „quos" pro: „quo" aut cum codice Bernensi 184 „qua" pro „quae" legitur; sed ego arbitror Orphea primum quaerere, quomodo inferos precetur, deinde, quos deos oret; illa fortasse mutata sunt, ut inaequalitas tollatur.

A. I, 286:

nascetur pulchra Trojanus origine Caesar,
imperium Oceano, | famam qui terminet astris.

A. I, 466:

namque videbat, uti bellantes Pergama circum
hac fugerent Grai, | premeret Troiana iuventus,
hac Phryges, instaret curru cristatus Achilles.

A. I, 583:

omnia tuta vides, | classem sociosque receptos.

A. XII, 346:

Eumedes in proelia fertur . . . proles . . . Dolonis,
nomine avum referens, | animo manibusque parentem.

δ) G. I, 305: tempus . . .

tum gruibus pedicas | et retia ponere cervis.

G. I, 342: quem versum supra exscripsi.

G. I, 413: iuvat imbribus actis

progeniem parvam | dulcesque revisere nidos.

G. IV, 239:

sin duram metues hiemem parcesque futuro,
contunsosque animos | et res miserabere fractas.

G. IV, 507:

. illum . . . perhibent . . . haec evolvisse sub astris
mulcentem tigres | et agentem carmine quercus.

G. IV, 520: matres

inter sacra deum | nocturnique orgia Bacchi
discerptum latos juvenem sparsere per agros.

A. I, 687:

cum dabit amplexus | atque oscula dulcia figet,

A. XII, 576:

scalae improviso | subitusque apparuit ignis.

A. XII, 830:

es germana Iovis | Saturnique altera proles.

A. XII, 840:

hae Iovis ad solium | saevique in limine regis
apparent,

II, 1a:

α) G. IV, 367:

spectabat . . . Phasimque Lycumque
et caput, unde altus primum se erumpit Enipeus,
unde pater Tiberinus | et unde Aniena fluenta
saxosusque sonans Hypanis Mysusque Caicus, . . .

II, 1b:

β) G. I, 422: hinc ille avium concentus in agris
et laetae pecudes | et ovantes gutture corvi.

G. I, 469:

quamquam . . . tellus quoque et aequora ponti
obscenaeque canes | importunaeque volucres
signa dabant.

G. IV, 178: grandaevis oppida curae
et munire favos | et daedala fingere tecta.

A. XII, 548: omnesque Latini,
omnes Dardanidae, Mnestheus acerque Serestus
et Messapus equum domitor et fortis Asilas
Tuscorumque phalanx | Euandrique Arcades alae
pro se quisque viri summa nituntur opum vi.

A. XII, 674:

turrim, compactis trabibus quam eduxerat ipse
subdideratque rotas | pontesque instraverat altos.

δ) G. IV, 103:

at quum incerta volant caeloque examina ludunt
contemnuntque favos | et frigida tecta relinquunt.

II, 2a:

α) A. I, 565:

quis[1] genus[2] Aeneadum[3], | quis[1] Troiae[3] nesciat urbem[2]
virtutesque virosque aut tanti incendia belli?

A. I, 413:

cernere[1] ne[2] quis[3] eos | neu[2] quis[3] contingere[1] posset
molirive moram aut veniendi poscere causas.

II, 2b:

β) A. XII, 903:

sed neque[1] currentem[2] | se nec[1] cognoscit euntem[2]
tollentemve manu saxumve immane moventem.

γ) G. I, 56: nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India[1] mittit ebur[2], | molles[1] sua[2] tura[2] Sabaei[1],
at Chalybes nudi ferrum . . .

A. XII, 458: ferit ense gravem Thymbraeus Osirim,
Arcetium[1] Mnestheus[2], | Epulonem[1] obtruncat Achates[2],
Ufentemque Gyas.

Inveniuntur igitur in his quattuor libris epicis 48 exempla eius symmetriae, unde cognoscitur in iis poetam pro tanto numero versuum (2788) hoc artificio multo rarius usum esse quam in eclogis, praesertim cum multos locos hic nimia quadam religione allatos esse paulo infra ostendam. Imprimis frequentia horum singulorum generum animadvertenda est: I: 36; II: 12; 1: 17; 2: 31; a: 8; b: 40: *α*: 16: *β*: 9; *γ*: 10; *δ*: 13; quos numeros si conferemus cum indice de versibus Bucolicorum confecto, videbimus genera symmetriae minus insignia (2, b, *δ*) in his 4 libris pro rata parte saepius, insigniora autem (1, a, *α*, *γ*) rarius quam in eclogis occurrere. Hoc etiam magis apparebit, si quaedam accurate inspiciemus. Ii loci, quibus aliud membrum cum hemistichiis aequatis eodem ordine coniunctum est (II.), eo differunt ab exemplis Bucolicorum sub numero II. collatis, quod in iis, si forte excipias hos: A. XII, 903 sq., G. I, 56 sq., A. XII, 458 sq., illa membra adiuncta talia sunt, ut symmetriam prorsus obscurent, id

quod in bucolicis numquam observatur. Deinde versus, in quibus nulla verba utriusque membri communia uni vel alteri hemistichio adiecta sunt (1.), hic tantum tertiam partem faciunt: in versibus alterius speciei (2.) non desunt, in quorum singulis hemistichiis inveniantur plus singula verba communia: G. I, 438, A. XII, 135, A. I, 287, A. XII, 903, qua re symmetria valde imminuitur: commemorandum quoque mihi videtur illud verbum commune, id quod non invenitur in bucolicis, esse subiectum nonnullis locis: G. I, 438, A. I, 287, A. XII, 849. Tum versus, qui hemistichiis plane aequatis excellunt (a), cum inter exempla eclogarum plus tertia pars sint, sunt inter versus horum librorum sexta fere pars; praesertim ii versus, in quibus verba terna accurate sibi respondent neque ullum verbum membrorum commune in altero hemistichio occurrit (1a), rarissime inveniuntur: G. I, 341 et G. IV, 369, cum in eclogis satis frequentes sint. Neque minimi momenti modum coniungendi esse in aperto est; nam anaphora (*α*) hic pro rata parte rarius adhibita est quam in Bucolicis, quo accedit, quod verba repetita non anaphoram proprio sensu, sed potius correlationem faciunt[1]) his locis: A. XII, 789, A. XII, 745, G. I, 440, A. I, 120, G. IV, 370, quod in exemplis Bucolicorum semel tantum (3, 42) observatur. Deinde coniunctio correlativa (*β*) in his locis saepius adhibita esse videtur quam in Bucolicis; sed animadvertendum est copulam repetitam saepe non vere correlativam esse, cum membris parallelis alia eodem ordine coniuncta antecedant: G. I, 423, G. I, 470, G. IV, 179, A. XII, 551, A. XII, 675, quos locos igitur iure quodam aliquis in speciem litterae *δ* signatam ascribat. Sine particula copulativa (*γ*) membra in versibus illis Bucolicorum multo saepius coniuncta sunt quam in his. Imprimis autem simplex coniunctio (*δ*), qua in Bucolicis hemistichia illa parallela numquam copulata esse vidimus, hic minime raro adhibita est. — Sed multis exemplis ex his quattuor libris exscriptis minorem vim inesse quam exemplis bucolicis praecipue admonendum est. Primum enim symmetria mem-

[1]) Haec distinguenda esse recte admonuit L. Otto, De anaphora. Diss. Marpurg. 1907, p. 45 sq.

brorum minus memorabilis est, si tantum singulis substantivis eorumque attributis aut singulis verbis eorumque obiectis constat, quoniam hae rationes verborum vulgarissimae sunt. Illud invenitur his locis: G. I, 414, G. IV, 240, G. IV, 520, A. XII, 830, si conjunctiones copulativas negligemus etiam: G. I, 423, G. I, 470, A. XII, 551[1]); idem in exemplis Bucolicorum ter tantum observatur: 1, 39, 5, 35, 9, 16; deinde verba singula eorumque obiecta sola sibi respondent in his versibus: G. IV, 510, A. I, 687, si coniunctiones negligemus etiam: G. IV, 179, A. XII, 675, G. IV, 104[2]); hoc in exemplis eclogarum numquam invenitur. Tum in versibus horum librorum interdum praeter repetitas particulas copulativas tantum singulae notiones sibi respondent: G. I, 438, A. XII, 135, A. XII, 903, quod de nullo exemplorum Bucolicorum dici potest. Denique hi versus: G. IV, 310, A. XII, 795, G. I, 438 propterea speciem aequalitatis minus praebent, quod quaedam syntactica ratione non tam accurate, quam verba in plerisque exemplis, sibi respondent. Ex his omnibus rebus iam cognoscitur concinnitatem grammaticam hemistichiorum praecipue artificium generis bucolici esse.

Sed postremo pauca de sententia versuum ex Georgicis et Aeneide collectorum dicam. Primum mihi commemorandum est libro IV. Georgicorum, quem simul cum ceteris libris epicis opposui Bucolicis, praeter partem didacticam aliam quandam rem: fabulam de Aristaeo, contineri; quae propius ad genus epylliorum accedit, ut recte admonuit May, l. l. pagg. 28, 63 adn. 1. Idem poetas epylliorum Romanorum, quod genus maiorem lyricae poesis quam magnorum epicorum carminum similitudinem habet (cf. l. l. pag. 102), studio quodam talia membra aequabilia appetivisse, quamquam hunc usum non, ut alia artificia, per alia carmina Romanorum persecutus est, docuit pagg. 80sqq. Quocum id concinit,

[1]) Aequalitatem horum versuum minoris aestimandam esse bene eo confirmatur, quod in iis omnibus membra coniuncta sunt coniunctione vel simplici vel repetita, quae non correlativa proprio sensu est. Aliter res se habet in tribus versibus Bucolicorum, qui supra sequuntur.

[2]) De his versibus idem dicendum est, quod de versibus modo tractatis adnotavi.

quod ex his versibus: G. IV, 315—558 pro rata parte multa exempla nobis enumeranda fuerunt: 383, 505, 466, 508, 521, 369. Imprimis ab oratione Protei, quae ut vaticinatio poesi cantatae propior esse debet, talia artificia non aliena esse existimandum est. Si igitur totam hanc fabulam Aristaei praetermitteremus, in reliquis partibus horum librorum etiam pauciora pro numero versuum exempla manerent etiamque manifestius esset hanc aequabilitatem hemistichiorum a Vergilio in libris epicis non captatam esse. Suavitas vel hilaris vel tristis observatur imprimis in nonnullis versibus huius partis: 383, 505, 466, quibus addo: G. I, 341 sq. In pluribus autem versibus membra tam graviter opposita sunt, ut inde potissimum congruentia orta esse videatur: A. XII, 789, G. IV, 310, A. I, 209, A. XII, 547, A. XII, 745, G. I, 440, G. I, 438, G. I, 509, A. I, 467. Tum, quod in exemplis bucolicis non inveni, hic interdum ea membra parallela idem significant: A. XII, 318, A. XII, 705; tales locos legenti ea tautologia mihi videtur ad affectum gravem exprimendum, minime ad venustatem pertinere.

Quoniam demonstravi Vergilium huius aequabilitatis hemistichiorum multo studiosiorem in Bucolicis fuisse quam in carminibus epicis, quaerendum est, num id artificium etiam in idylliis meris bucolicis Theocriti, quae Maroni maxime exemplo fuisse inter omnes constat, saepe adhibitum sit. Hoc ita se habere docuit Ph.-E. Legrand, l. l. pag. 394: „nombre de vers, surtout dans les merae rusticae, sont formés de deux hémistiches parallèles“; versus, quos in adnotatione huius paginae laudavit, non omnes hic afferre debeo, quia in multis singula verba parum sibi respondent: de exemplis symmetriae accuratioris nonnulla idem in pag. 320 sq. exscripsit. Primo quam brevissime in memoriam revocabo eos locos, quibus Vergilius in hemistichiis aequandis certos locos Theocriteos eodem fere artificio exornatos secutus est: 7, 5 ~ id. 8, 4, 10, 23 ~ id. 1, 83, 3, 58 ~ id. 9, 1 sq., 10, 13 ~ id. 1, 71, 5, 32 sq. ~ id. 8, 79 sq., id. 18, 29 sq., 10, 19 ~ id. 1, 80, 7, 37 sq. ~ id. 11, 19 sq., ex quibus iam intelligitur Theocritum in ea re quoque a Vergilio expressum esse. Sed omnes versus nobis colligendi sunt, qui genera huius symmetriae,

qualia in operibus Vergilii observavimus, praebent. Haec sunt exempla ex illis decem bucolicis idylliis 1., 3.—11. collecta atque eadem ratione, qua exempla Vergiliana, distributa 1)):

I, 1a:

α) 7, 144: *ὄχναι*[1] *μὲν πὰρ*[2] *ποσσί*[3], | *παρὰ*[2] *πλευραῖσι*[3] *δὲ μᾶλα*[1]
δαψιλέως ἁμῖν ἐκυλίνδετο.

8, 53: *μή*[1] *μοι*[2] *γᾶν*[3] *Πέλοπος*[4], | *μή*[1] *μοι*[2] *Κροίσεια*[4] *τάλαντα*[3] 2))
εἴη ἔχειν, μηδὲ πρόσθε θέειν ἀνέμων.

γ) 8, 81: *ὣς*[1] *οἱ*[2] *παῖδες*[3] *ἄεισαν*[4], | *ὁ*[2] *δ' αἰπόλος*[3] *ὧδ'*[1] *ἀγόρευεν*[4].

I, 1b:

α) 5, 60: *αὐτόθε*[1] *μοι*[2] *ποτέρισδε*[2] | *καὶ αὐτόθε*[1] *βουκολιάσδεν*[2].

8, 11: *χρῄσδεις*[1] *ὦν ἐσιδεῖν*[2]; | *χρῄσδεις*[1] *καταθεῖναι*[2] *ἄεθλον*[2];

8, 12: *χρῄσδω*[1] *τοῦτ'*[2] *ἐσιδεῖν*[2], | *χρῄσδω*[1] *καταθεῖναι*[2] *ἄεθλον*[2].

8, 25: *ἀλλὰ τίς*[1] *ἄμμε*[2] *κρινεῖ*[3]; | *τίς*[1] *ἐπάκοος*[3] *ἔσσεται*[3] *ἁμέων*[2];

β) 6, 17: *καὶ*[1] *φεύγει*[2] *φιλέοντα*[3] | *καὶ*[1] *οὐ*[3] *φιλέοντα*[3] *διώκει*[2],
καὶ τὸν ἀπὸ γραμμᾶς κινεῖ λίθον.

γ) 6, 44: *αὔλει*[1] *Δαμοίτας*[2], | *σύρισδε*[1] *δὲ Δάφνις*[2] *ὁ βούτας*[2].

8, 28: *χοἱ*[1] *μὲν παῖδες*[2] *ἄυσαν*[3], | *ὁ*[1] *δ' αἰπόλος*[2] *ἦνθ'*[3] *ἐπακοῦσαι*[3].

8, 14: *μόσχον*[1] *ἐγὼ*[2] *θησῶ*[3]· | *τὺ*[2] *δὲ θὲς*[3] *ἰσομάτορα*[1] *ἀμνόν*[1].

I, 2a:

γ) 8, 29: *χοἱ*[1] *μὲν παῖδες*[2] *ἀείδεν*[3], | *ὁ*[1] *δ' αἰπόλος*[2] *ἤθελε κρίνειν*[3]. 3))

I, 2b:

α) 1, 71: *τῆνον*[1] *μὰν θῶες*[2], | *τῆνον*[1] *λύκοι*[2] *ὠρύσαντο,*
τῆνον χὼκ δρυμοῖο λέων ἔκλαυσε θανόντα.

---

1) Articuli repetitionem, si eadem forma posita est, in anaphoris numerare liceat. Coniunctionem, quae particula *δέ* fit, cum ea non minor efficiatur symmetria, speciei littera: *γ* signatae attribuere velim.

2) Sane hoc: *Κροίσεια* coniecturam esse pro verbo tradito: *χρύσεια*, quod minus aptum est, concedo.

3) Hanc lenissimam mutationem *ἀείδεν* pro lectione: *ἄειδον*, quam O. Schneider proposuit, verbis: *ἤθελε κρίνειν* aptiorem esse censeo.

1,82: ἁ δὲ τὲ κώρα
πάσας ἀνὰ κράνας, | πάντ' ἄλσεα ποσσὶ φορεῖται
. . . ζατεῖσ'.

1,140: ἔκλυσε δίνα
τὸν Μοίσαις φίλον ἄνδρα | τὸν οὐ Νύμφαισιν ἀπεχθῆ.

5,38: θρέψαι τοι λυκιδεῖς, | θρέψαι κυνάς, ὥς τυ φάγωντι.[1])

9,30: καὶ καλὰ μὲν τὰ γένεια, | καλὰ δέ μοι ἁ μία κώρα,
ὡς παρ' ἐμὶν κέκριται, κατεφαίνετο.

8,63: φείδευ τᾶν ἐρίφων, | φείδευ λύκε τᾶν τοκάδων μευ.

11,58: ἀλλὰ τὰ μὲν θέρεος, | τὰ δὲ γίνεται ἐν χειμῶνι.

β) 10,28: καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ | καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος,

γ) 9,43: χὢ μὲν τῷ σύριγγ', | ὃ δὲ τῷ καλὸν αὐλὸν ἔδωκε.

9,3: μόσχως βουσὶν ὑφέντες, | ὑπὸ στείραισι δὲ ταύρως.

δ) 8,82: ἁδύ τι τὸ στόμα τοι | καὶ ἐφίμερος ὦ Δάφνι φώνα.

II, 1 b:

α) 1,68: οὐ γὰρ δὴ ποταμοῖο μέγαν ῥόον εἶχετ' Ἀνάπω,
οὐδ' Αἴτνας σκοπιάν, | οὐδ' Ἄκιδος ἱερὸν ὕδωρ.

1,100: Κύπρι βαρεῖα,
Κύπρι νεμεσσατά, | Κύπρι θνατοῖσιν ἀπεχθής.

11,45: ἐντὶ δάφναι τηνεί, ἐντὶ ῥαδιναὶ κυπάρισσοι,
ἔστι μέλας κισσός, | ἔστ' ἄμπελος ἁ γλυκύκαρπος,
ἔστιν ψυχρὸν ὕδωρ, τό μοι ἁ . . . Αἴτνα . . . προίητι.

β) 1,109: ὡραῖος χὤδωνις, ἐπεὶ καὶ μῆλα νομεύει
καὶ πτῶκας βάλλει | καὶ θηρία πάντα διώκει.

5,128: ταὶ μὲν ἐμαὶ κύτισόν τε καὶ αἴγιλον αἶγες ἔδοντι
καὶ σχῖνον πατέοντι | καὶ ἐν κομάροισι κέονται.

[1]) Hic versus sane ab aliis aliter scribitur (*τοι* coniecit Meineke pro tradito: *καί*) atque explicatur; sequor interpretationen a Wilamowitzio l. l. pag. 253 prolatam.

γ) 8, 79: τᾷ δρυῒ ταὶ βάλανοι κόσμος, τᾷ μάλιδι μᾶλα,
τᾷ[1] βοῒ[2] δ' ἁ[3] μόσχος,[4] | τῷ[1] βουκόλῳ[2] αἱ[3] βόες[4] αὐταί.[4]

9, 31: τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ,
ἴρηκες[1] δ' ἴρηξιν,[2] | ἐμὶν[2] δ' ἁ[1] Μοῖσα[1] καὶ ᾠδά.[1]

11, 19: ὦ λευκὰ Γαλάτεια, τί τὸν φιλέοντ' ἀποβάλλῃ,
λευκοτέρα πακτᾶς ποτιδεῖν, ἁπαλωτέρα ἄρνος,
μόσχω[1] γαυροτέρα,[2] | φιαρωτέρα[2] ὄμφακος[1] ὠμᾶς;[1]

II, 2a:

γ) 10, 30: ἁ[1] αἶξ[2] τὰν[3] κύτισον,[4] | ὁ[1] λύκος[2] τὰν[3] αἶγα[4] διώκει,
ἁ γέρανος τὤροτρον, ἐγὼ δ' ἐπὶ τὶν μεμάνημαι.

II, 2b:

α) 11, 45: quem versum modo exscripsi.

Inveniuntur igitur in 890 versibus horum carminum 33 exempla huius aequabilitatis hemistichiorum; ea igitur Theocritus paulo rarius quam Vergilius in Bucolicis usus est. Numerum versuum singularum classium brevissime hic index praebet: I: 23, II: 10, 1: 19, 2: 14, a: 5, b: 28, α: 17, β: 4, γ: 11, δ: 1. Primum numerus eorum versuum, quibus non alia membra addita sunt (I), multo maior est quam ceterorum (II); insuper in his omnibus, id quod de eadem re in eclogis Vergilii observavimus, ea membra cum parallelis coniuncta, cum in ipsis quoque plura verba verbis horum respondeant, symmetriam non delent, sed corroborant. Deinde hic, ut in Bucolicis Vergilii, numerus eorum versuum, in quorum membris aequalibus nullum verbum commune exstat (1), superat numerum ceterorum (2). Versus, quorum dimidia accuratius sibi respondent (a), quamquam a Theocrito multo rarius adhibiti sunt quam a Vergilio, tamen non desunt. Tum de modis coniungendi dicendum est repetitionem, ut in Vergilii Bucolicis, saepissime adhibitam esse, saepe asyndeton, rarissimo simplicem coniunctionem copulativam. — Concinnitas membrorum posita est in singulis nominibus eorumque attributis his locis: 1, 83 et 1, 100, in

singulis verbis eorumque obiectis: 5, 38, si coniunctionem negligimus, etiam: 1, 110 et 5, 129. Denique antithesis tam fortis, ut ex ea symmetriam fluxisse credas, raro observatur: 6, 17, 8, 14, 11, 58. Neque saepe inveniuntur membra synonyma: 5, 60 et 8, 82, quae exempla eo differunt, quod in priore tautologia oritur ex affectu indignationis, in altero ex admirationis. In ceteris exemplis fere omnibus imprimis illa suavitas bucolicae poesi aptissima a poeta appetita est. Admonere velim ea artificia in singulis idylliis non pari frequentia inveniri; in 3. et 4. enim numquam, in 7. rarissimo adhibita sunt. Contra plurima exempla occurrunt in carmine 8., quod non Theocriti, sed imitatoris esse aliquot viri docti, de quibus cf. F. Susemihl, Geschichte der griechischen Literatur in der Alexandrinerzeit, Leipzig 1891, I, pag. 215 adn. 1, censuerunt, quibuscum consentit Wilamowitz, l. l., pag. 122; quae sententia fortasse ex his, quae demonstravi, probabilior facta est; at certe hoc carmen Vergilio notum erat, immo praeter alia placuisse videtur.[1]) Animadvertas quoque velim in priore parte idyllii 1. usque ad v. 63 nullum tale exemplum legi, sed in carmine Thyrsidis, quod inde sequitur usque ad v. 142, 6 exempla: hoc eo factum est, quod poeta in hac parte, qua canticum effingere voluit, sonum poesis lyricae magis secutus est.[2])

Sed quaerendum est, num haec symmetria hemistichiorum magis propria sit carminum bucolicorum quam aliorum Theocriti. Legrand, l. l., pagg. 401 sq. de variis generibus symmetriae sic iudicavit: „Si notre auteur se singularise au milieu de ses contemporains, c'est seulement par l'usage plus fréquent qu'il a fait des combinaisons symétriques: la nature de plusieurs de ses pièces l'y sollicitait; en trans-

---

[1]) Cf. Wilamowitz. l. l., pag. 122: „Das achte Gedicht hat großen Reiz; Vergil fand seine weiche Natur darin viel mehr wieder als in den Theokritischen Hirtenmimen 4. und 5.“ Cum mollitudine animi optime concinit stilus suavitatis plenus.

[2]) Huc accedunt tales versus: 65, 78, 86, 96, 134, 74, 132, quos supra non enumeravi, quia in iis singula parum sibi respondent aut membra parallela non singula hemistichia occupant.

portant parfois dans d'autres pièces ce qui convenait à celles-là, peut-être agit-il sans intention expresse, par habitude." Quamquam haec universe probanda esse existimo, vir doctus debebat admonere talia in reliquis carminibus multo rarius inveniri quam in bucolicis. Quod ut certo cognoscatur, iam conferam exempla eius concinnitatis hemistichiorum ex carminibus non bucolicis, quorum auctor Theocritus certo iudicandus est:[1]) idylliis 2, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 22, 24, 28, 29, 30. Quae carmina cum tam variorum generum litterarum sint, praestabit carmina, quae eiusdem fere generis sunt, simul tractare. — Primum in mimis urbanis: id. 2, 14, 15 hi versus enumerandi sunt:

15, 6: *παντᾷ κρηπῖδες, | παντᾷ χλαμυδηφόροι ἄνδρες.*
15, 8: *ὡς ἔτυμ' ἑστάκαντι | καὶ ὡς ἔτυμ' ἐνδινεῦντι.*
15, 146: *ὀλβία ὅσσα ἴσατι, | πανολβία ὡς γλυκὺ φωνεῖ.*
15, 128: *τὰν μὲν Κύπρις ἔχει, | τὰν δ' ὁ ῥοδόπαχυς Ἄδωνις.*
2, 15: *φάρμακα ταῦτ' ἔρδοισα χερείονα μήτε τι Κίρκης*
μήτε τι Μηδείας | μήτε ξανθᾶς Περιμήδας.
2, 43: *ἐς τρὶς ἀποσπένδω | καὶ τρὶς τάδε, πότνια, φωνῶ.*

De eis commemorandum est in illis tribus versibus id. 15: 6, 82, 146 mulieres dicere se aliquid valde admirari; itaque poeta illam figuram praecipue ad eum affectum exprimendum adhibuisse videtur, id quod in Bucolicis semel tantum (8, 82) tam plane observatur. In v. 15, 128 concinnitas constat praeter vocabula correlativa tantum singulis nominibus, quod in bucolicis exemplis semel (11, 58) tantum invenitur; antithesis igitur aequabilitatem quasi genuit. Symmetria versus 2, 16 a poeta imprimis ad carmen veneficae bene inchoandum adhibita esse videtur; item versus 43. lyrico characteri cantilenae aptissimus est.[2]) Denique om-

[1]) Cf. Susemihl, l. c. pagg. 214 sq.

[2]) Adnotandum mihi est omnino in hoc carmine similes versus non raros esse, velut: 82, 98, 113, 38, quos vero ne supra enumerarem, normis severioribus mihi statutis (pagg. 9 sqq.) impeditus sum.

nino admonendum est in his carminibus, quibus 385 versus sunt, pro rata parte tales versus satis raros esse.[1] — His adiungere velim Helenae epithalamium (id. 18), de cuius natura paulo infra agendum erit; in eius 58 versibus haec leguntur:

29: *πιείρᾳ μέγα λᾷον ἀνέδραμε κόσμος ἀρούρᾳ*
ἢ κάπῳ κυπάρισσος | ἢ ἅρματι Θεσσαλὸς ἵππος.
40: *χαίροις ὦ νύμφα, | χαίροις εὐπένθερε γαμβρέ.*

id artificium igitur pro numero versuum tam saepe adhibitum est quam in carminibus bucolicis. — Deinde in idyllio 12. unum exemplum occurit:

3: *ὅσσον ἔαρ χειμῶνος, | ὅσσον μῆλον βραβίλοιο*
ἥδιον, ὅσσον ὄις σφετέρης λασιωτέρη ἄρνος, κτλ.,

quam symmetriam admodum insignem in ea parte huius carminis, quae generi bucolico proxime accedit,[2] forte fortuna adhibitam esse non credo. — Iam transeo ad duo encomia: id. 16. et 17., in quibus hi versus eius generis leguntur:

16, 1: *Αἰεὶ τοῦτο Διὸς κούραις μέλει, αἰὲν ἀοιδοῖς,*
ὑμνεῖν ἀθανάτους, | ὑμνεῖν ἀγαθῶν κλέα ἀνδρων.
17, 77: *Μυρίαι ἄπειροί τε | καὶ ἔθνεα μυρία φωτῶν*
λήϊον ἀλδήσκουσιν ὀφελλόμενον Διὸς ὄμβρῳ.
16, 23: *οὐχ ἅδε πλούτου φρονέουσιν ὄνασις,*
ἀλλὰ τὸ μὲν ψυχᾷ, | τὸ δέ πού τινι δοῦναι ἀοιδῶν.
17, 1: *Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθαι | καὶ ἐς Δία λήγετε Μοῖσαι,*
17, 93: *πολλοὶ δ' ἱππῆες, | πολλοὶ δέ μιν ἀσπιδιῶται*
χαλκῷ μαρμαίροντι σεσαγμένοι ἀμφαγέρονται.

[1]) In id. 15. eam symmetriam etiam praebent versus 143sq., ut in plerisque editionibus leguntur. Sed quamquam ea extremis versibus illius cantici apta esset, tamen elegantius post hoc: *ἐς νέον* interpungi Wilamowitz, l. l. pagg. 50sq. mihi persuasit.

[2]) Cf., quae de hoc loco Wilamowitz, l. l. p. 180 exposuit.

17,82: τρεῖς μέν οἱ πολίων ἑκατοντάδες ἐνδέδμηνται,
τρεῖς δ' ἄρα χιλιάδες τρισσαῖς ἐπὶ μυριάδεσσιν,
δοιαὶ[1] δὲ τριάδες[2], | μετὰ δέ σφισιν ἐννεάδες[2] τρεῖς[1].

17,110: πολλὸν δ' ἰφθίμοισι δεδώρηται βασιλεῦσι,
πολλὸν[1] δὲ πτολίεσσι[2], | πολὺν[1] δ' ἀγαθοῖσιν[2] ἑταίροις[2].

Si hos locos perlustramus, primum de versibus 16, 2 et 17, 1 admonendum est Theocritum haec duo encomia inchoavisse compluribus versibus, qui ab omnibus sequentibus versibus eorum carminum eo differunt, quod quasi strophas binorum versuum faciunt et variis generibus aequabilitatis abundant. Deinde de versu 16, 24 idem dicendum est, quod paulo ante de versu 15, 128 protuli. Deinde hi versus id. 17: 77, 93, 84 exempla minus gravia symmetriae propterea existimandi sunt, quod solum singula substantiva cum attributis coniuncta sibi respondent; ut haec adiectiva omnia numeralia sint, non casu factum esse videtur: his locis figura ad multitudinem quadam cum granditate stilo horum carminum aptissima significandam adhibita est. Hoc pertinere puto ad versum 17, 111, in quo poeta simili affectu vocabulum repetivit. Neque obliviscendum est numerum horum versuum, etiamsi eos omnes numeramus, pro 246 versibus minorem esse quam in Bucolicis. — Iam accedo ad carmina proprio sensu epica: idyllia 13, 22, 24, in quibus haec leguntur:

24,9: ὄλβιοι[1] εὐνάζοισθε[2] | καὶ ὄλβιοι[1] ἀῶ[2] ἵκοισθε[2].

24,72: Τόσσ'[1] ἔλεγεν[2] βασίλεια[3]· | ὃ[3] δ' ἀνταμείβετο[2] τοίοις[1].

24,81: οὗ καὶ[1] θηρία[2] πάντα[3] | καὶ[1] ἀνέρες[2] ἥσσονες ἄλλοι[3].

13,40: περὶ δὲ θρύα πολλὰ πεφύκει
κυάνεόν τε χελιδόνιον χλωρόν τ' ἀδίαντον
καὶ[1] θάλλοντα[2] σέλινα[3] | καὶ[1] εἰλιτενὴς[2] ἄγρωστις[3].

22,156: πολλή[1] τοι Σπάρτη[2], | πολλὴ[1] δ' ἱππήλατος Ἦλις[2]
Ἀρκαδίη τ' εὔμηλος Ἀχαιῶν τε πτολίεθρα
Μεσσήνη τε καὶ Ἄργος ἅπασά τε Σισυφὶς ἀκτή.

Inter hos versus solo in primo symmetria insignior invenitur; neque nos a vero aberrare censeo, si Theocritum eandem suavitatem simplicem, quam in carminibus pastoriciis appetiit, in his tribus versibus, qui dulcitudinem talis cantilenae a matre infantibus cantatae exprimerent, persecutum esse statuimus;[1]) quae sententia eo confirmatur, quod de versibus praecedentibus infra dicendum erit. Contra in versu 24, 72 poeta vix ad ullam symmetriam spectavit; imprimis concinnitati detrimento est pondus nimis dispar subiectorum. In versibus 24, 81 et 13, 42 praeter coniunctiones repetitas tantum singula substantiva eorumque attributa sibi respondent; praeterea in hoc exemplo alia membra eodem ordine coniuncta sunt. Denique in versu 22, 156 adiectivum numerale eadem ratione, qua in plerisque exemplis idyllii 17, repetitum est; praeterea symmetria imminuitur verbis quae sequuntur. Haec tria carmina epico sermone conscripta, quibus 438 versus sunt, videmus praebere, si haec omnia adnumeramus, tantum quinque exempla symmetriae hemistichiorum. — Denique idyllia 28, 29, 30, quae quidem non versibus hexametris composita sunt, sine talibus versibus sunt. — Sed ut summam faciamus, demonstratum est aequabilitatem hemistichiorum in aliis carminibus Theocriti multo rarius adhibitam esse quam in bucolicis, praecipue autem illorum exempla, quae afferri possunt, maximam partem esse minus memorabilia quam horum; deinde nonnulli versus, qui hemistichia aequalia habent, quodam modo poesi bucolicae propinqua sunt: 12, 3, 18, 30, 18, 49, 24, 9, ut iis sententia nostra non infirmetur, immo confirmetur.

Hanc symmetriam, quam ut in Bucolicis Theocriti, ita in eclogis Vergilii libenter adhibitam esse vidimus, etiam a bucolicis poetis Graecis inferiorum temporum artificium huic generi litterarum aptissimum existimatam esse patet ex idylliis Theocrito adscriptis 20. et 27. et ex laudatione Bionis mortui. Quibus ex carminibus, quamquam Vergilius ea non

[1]) Hunc locum cum poesi populari cohaerere concludi potest ex usu homoeoteleuti; cf. Gebauer, l. l., pagg. 65, 11, 49 adn. 1; Legrand, l. l., p. 401.

imitatus est, tamen cognosci potest, quid poesis bucolicae proprium sit. Idyllium 20. praebet haec exempla eius symmetriae:

35: οὐ τὸν Ἄδωνιν
ἐν δρυμοῖσι φίλασε | καὶ ἐν δρυμοῖσιν ἔκλαυσεν;
12: καὶ μ' ἀπὸ τᾶς κεφαλᾶς ποτὶ τὼ πόδε συνεχὲς εἶδεν
χείλεσι μυχθίζοισα | καὶ ὄμμασι λοξὰ βλέποισα.
4: οὐ μεμάθηκα
ἀγκροίκως φιλέειν, | ἀλλ' ἀστικὰ χείλεα θλίβειν.
30: καὶ πᾶσαι καλόν με κατ' ὤρεα φαντὶ γυναῖκες,
καὶ πᾶσαί με φιλεῦντι· | τὰ δ' ἀστικά μ' οὐκ ἐφίλασεν,
ἀλλ' ὅτι βουκόλος ἐμμί, παρέδραμε κοὔ ποτακούει.
6: οἷα βλέπεις, ὁπποῖα λαλεῖς, ὡς ἄγρια παίσδεις,
ὡς τρυφερὸν καλέεις, | ὡς κωτίλα ῥήματα φράσδεις,
ὡς μαλακὸν τὸ γένειον ἔχεις, ὡς ἁδέα χαίταν,
χείλεά τοι νοτέοντι, | χέρες δέ τοί εἰσι μέλαιναι,
καὶ κακὸν ἐξόσδεις.

Quamquam fortasse versus 31., quia utrumque hemistichium artius cum verbis praecedentibus vel sequentibus cohaeret quam cum altero, (in quo versu insuper, sicut in 5., gravior antithesis effecit eam concinnitatem) melius eximitur, tamen pro 45 versibus huius carminis numerus non mediocris exemplorum restat. — Item in 27. idyllii 73 versibus tales versus satis saepe inveniuntur:

10: χαιρέτω ἁ Παφία· | μόνον ἵλαος Ἄρτεμις εἴη.
23: πολλοί μ' ἐμνώοντο, | νόον δ' ἐμὸν οὔτις ἰαίνει.[1])
65: παρθένος ἔνθα βέβηκα· | γυνὴ δ' εἰς οἶκον ἀφέρπω.
5: τὸ στόμα μευ πλύνω | καὶ ἀποπτύω τὸ φίλαμα.
34: πᾶσαν τὰν ἀγέλαν, | πάντ' ἄλσεα καὶ νομὸν ἕξεις.

[1]) Ultimum verbum in libris corruptum: *ἀείδει* viri docti vario modo restituere conati sunt; nihil autem constat nisi verbum finitum ei subesse atque id respondere verbo finito prioris membri.

37: *τεύχεις μοι θαλάμους, | τεύχεις καὶ δῶμα καὶ αὐλάς·*
64: *ῥέξω πόρτιν Ἔρωτι | καὶ αὐτᾷ βῶν Ἀφροδίτᾳ.*

Concedendum quidem est symmetriam in tribus versibus (16, 23, 65) ex antithesi quasi exortam esse, in uno (34) positam esse in substantivis cum attributis coniunctis et in duobus (5, 37) in singulis verbis eorumque obiectis. — In carmine, quod inscribitur *Ἐπιτάφιος Βίωνος*, haec exempla symmetriae occurrunt:

11: *ὅττι σὺν αὐτῷ*
καὶ τὸ μέλος τέθνακε | καὶ ὤλετο Δωρὶς ἀοιδά.
100: *... τὰ χλωρὰ σέλινα τό τ' εὐθαλὲς οὖλον ἄνηθον*
ὕστερον αὖ ζώοντι | καὶ εἰς ἔτος ἄλλο φύοντι.
119: *ἀλλ' ἐπὶ Κώρᾳ*
Σικελικόν τι λίγαινε | καὶ ἁδύ τι βουκολιάζεν.
96: *κλαρονόμος Μοίσας τᾶς Δωρίδος, ᾇ με γεραίρων*
ἄλλοις μὲν τεὸν ὄλβον, | ἐμοὶ δ' ἀπέλειπες ἀοιδάν.
80: *κεῖνος δ' οὐ πολέμους, οὐ δάκρυα, Πᾶνα δ' ἔμελπε,*
καὶ βούτας ἐλίγαινε | καὶ ἀείδων ἐνόμευε
καὶ σύριγγας ἔτευχε κτλ.
3: *νῦν φυτά μοι μύρεσθε, | καὶ ἄλσεα νῦν γοάοισθε,*
ἄνθεα νῦν στυγνοῖσιν ἀποπνείοιτε κορύμβοις, κτλ.

In his exemplis sane gravior antithesis semel (v. 97) causa concinnitatis fuisse videtur, et nonnumquam (12, 101, 120) membra parallela idem significant, id quod non adeo mirum est, quoniam hoc carmen habet pathos multo gravius quam alia bucolica; at imprimis admonendum est etiam in hoc poemate pro 126 versibus ea artificia minime raro adhibita esse.

Cognovimus igitur symmetriam hemistichiorum in his tribus idylliis pro rata parte etiam saepius occurrere quam in Theocriti carminibus bucolicis. Ne quis dicat hoc studium minus ad genus litterarum quam ad artificiosiorem sermonem

poetarum posteriorum referendum esse, operae pretium erit nonnulla carmina epica in libris bucolicorum tradita, quae post Theocritum a poetis aetatis Alexandrinae scripta esse viri docti censent, comparare: carmen *Ἡρακλῆς*, quod sub nomine Theocriti traditum est, epyllion Moschi *Εὐρώπη*, carmen *Μεγάρα*. In primo eorum tantum hi versus eius generis leguntur:

49: *ᾧ κε τὸ μὲν εἴποιμι, | τὸ δ' ἐκ φαμένοιο πυθοίμην.*

90: *(νέφη) εἶσιν ἐλαυνόμενα προτέρωσε*
ἠὲ νότοιο βίῃ | ἠὲ Θρηκὸς βορέαο.

29: *πᾶν γὰρ δὴ πεδίον τόδ' ἐπίφρονος Αὐγείαο*
πυροφόροι τε γύαι | καὶ ἀλωαὶ δενδρήεσσαι.

Iam apparet, quantulus numerus horum exemplorum pro 281 versibus sit; sed ne haec quidem praebent insignem symmetriam: nam in versu 49. solum efficitur hac antithesi a sermone epico minime aliena (cf. Th. 15, 128 et 16, 24), in versu 91. posita est tantum singulis notionibus praeter coniunctiones correlativas, in versu 30. tantum singula substantiva eorumque attributa sibi respondent. — In 165 versibus carminis *Εὐρώπη* hoc tantum legitur:

132: *φαίνετο δ' οὔτ' ἀκτή τις ἁλίρροθος οὔτ' ὄρος αἰπύ,*
ἀλλ' ἀὴρ μὲν ἄνωθεν, | ἔνερθε δὲ πόντος ἀπείρων,

quo loco concinnitas non ad suaviloquentiam, sed ad opposita gravius efferenda pertinet. — Item in 125 hexametris carminis *Μεγάρα* tantum unum exemplum invenitur:

13: *σχέτλιος ὃς τόξοισιν, ἅ οἱ πόρεν αὐτὸς Ἀπόλλων*
ἠέ τινος Κηρῶν | ἢ Ἐρινύος αἰνὰ βέλεμνα,
παῖδας ἑοὺς κατέπεφνε κτλ.,

quo loco sicut in versu 91. carminis *Ἡρακλῆς* symmetria minime memorabilis est.

Ex iis, quae adhuc contulimus, cognovimus haec dimidia versuum, quorum singula verba sibi respondent, pro rata parte multo saepius occurrere in Bucolicis Vergilii quam in

carminibus epicis, in idylliis Theocriti meris rusticis quam in aliis eiusdem, in illis carminibus Graecis bucolicis inferioribus quam in epylliis eiusdem fere aetatis. Inde intelligitur, quod demonstrare studui, hanc symmetriam multo magis fuisse artificium poesis bucolicae quam heroicae.

Sed quid de ea re iudicandum est? Norden, qui, ut supra dixi, in editione libri VI. Aeneidis quaedam exempla aequitatis membrorum et insignioris et minus insignis e carminibus Vergilii elegit, statuit hunc poetam, sicut alios antiquiores et posteriores, in ea re rhetores secutum esse.[1]) Concedo quidem Vergilium etiam studiis rhetoricis inductum esse, ut membra quadam aequabilitate conformaret. Sed quod attinet ad accuratiorem symmetriam membrorum, de qua egimus, viro docto assentiri non possum. Nam quominus eam quoque maxime ex arte rhetorica repetamus, eo impedimur, quod cognovimus hanc symmetriam hemistichiorum ab illis poetis in carminibus bucolicis studio quodam adhibitam esse, in carminibus grandiore stilo scriptis multo rariorem esse vel omnino deesse; consentiunt enim omnes poesim epicam sublimiorem esse atque arti oratoriae plus debere quam genus bucolicum, quod magis tenuitatem sequitur et cum poesi populari quodam modo cohaeret.[2]) Ergo nobis aliae causae quaerendae sunt, quibus origo eius rei explanetur. Primum apparet conditionem generis epici et generis bucolici non eandem esse; nam in carminibus epicis, quia semper fere varia facta in narratione se excipiunt atque quasi actio sine mora progreditur, poetis occasio talium artificiorum adhibendorum rarius data est: contra in bucolicis, in quibus multa lyrico generi propiora sunt, saepius res aequales efferuntur, qua de causa partes orationis quoque potius sibi respondent. Imprimis comparationes a poetis epicis adhibitae a comparationibus bucoli-

[1]) Item May, l. l., pag. 80, arti rhetoricae maxime hoc artificiosum ornamentum tribuendum esse iudicavit.

[2]) May, l. l., pag. 64, unus, cum solum ad usum frequentiorem anaphorarum respiceret, quod aequum esse minime existimo, nuper statuit in Bucolicis et Georgicis artem rhetoricam plus valere quam in Aeneide.

corum eo differunt, quod in his saepissime aliquid cum compluribus rebus, quae membris aequalibus enuntiantur, comparatur, qua re animus in eadem re morari iucundissime iubetur, in illis fere numquam, ne narratio longius tardetur. Sed haec non sola causa est. Talia enim membra, quorum singula verba sibi plane respondent, carminum antiquissimorum et minime doctorum non solum apud Graecos et Romanos, sed etiam apud alios populos propria esse Norden in libro qui inscribitur: Die antike Kunstprosa II, p. 813—824 compluribus exemplis docuit. Imprimis nostra interest videre carmina popularia Romanorum et Graecorum, quae sine ulla opera artis rhetoricae orta sunt, haud raro illam symmetriam membrorum, etiam verbis pariter cadentibus auctam, praebere. In pag. 820 sqq. Norden carmina magica Latinorum ea aequalitate ornata laudavit, in pag. 822 sq. exempla concinnitatis e Graecis carminibus popularibus collecta; haec carmina potissimum nobis respicienda sunt, quandoquidem poesis bucolica inter Graecos adolevit. Inter ea maximi momenti esse videntur membra aequabilia et congruentia illius carminis Rhodii a pueris stipem cogentibus cantati;[1]) neque desunt alia exempla talis symmetriae, etsi homoeoteleuto carent, in reliquiis tam exiguis carminum popularium Graecorum (Bergk, l. l., p. 654 sqq.):

frg. 19: *ποῦ*[1] *μοι*[2] *τὰ*[3] *ῥόδα*[4]; *ποῦ*[1] *μοι*[2] *τὰ*[3] *ἴα*[4]; *ποῦ*[1] *μοι*[2] *τὰ*[3] *καλὰ*[4] *σέλινα*[4];
ταδὶ[1] *τὰ*[2] *ῥόδα*[3], *ταδὶ*[1] *τὰ*[2] *ἴα*[3], *ταδὶ*[1] *τὰ*[2] *καλὰ*[3] *σέλινα*[3].

frg. 39: *σῖτον*[1] *ἐν*[2] *πηλῷ*[3] *φύτευε·* | *τὴν*[1] *δὲ κριθὴν*[1] *ἐν*[2] *κόνει*[3],

ubi sane verba, quae sibi respondent, graviter opposita sunt; denique non praetermittendi sunt hi versus:

frg. 42: *Δέξαι*[1] *τὰν*[2] *ἀγαθὰν*[3] *τύχαν*[3], *δέξαι*[1] *τὰν*[2] *ὑγίειαν*[3],
ἃν φέρομεν παρὰ τᾶς θεοῦ, ἃν ἐκαλέσσατο τήνα,

qui praecipue ad hanc quaestionem propterea pertinent, quod cum origine poesis bucolicae eos artissime cohaerere viri docti antiqui quidem censebant. — Sed fragmenta

[1]) Bergk, Poetae Lyrici Graeci[4], Lipsiae 1882, III, p. 671; versus, qui ad hanc rem pertinent, Norden, l. l., exscripsit.

poesis popularis Graecae nimis pauca ad nos pervenerunt; deinde difficile est ea comparare, quia plerisque alia forma metrica est atque carminibus bucolicis. Praestat igitur considerare genus poeticum quoddam largius traditum, quod hexametris maximam partem compositum, etiamsi a certis poetis cultum est, tamen ad simplicia carmina populi proxime accedit: carmina nuptialia Graecorum. Nam in hymenaeis, imprimis Sapphus, plurimum valere artem simplicem sinceram dulcem, quae carminum popularium est, inter omnes constat.[1]) Quamquam ipsi Graecae antiquitatis hymenaei et epithalamia praeter pauca et parva fragmenta perierunt, tamen de artificiis eorum nonnulla nos concludere posse spero ex illo epithalamio Helenae a Theocrito composito et ex epithalamio a Catullo hexametris scripto (c. 62), quae carmina, qua sunt simplicitate cogitationis et dictionis, ad exempla vetera illius simplicis venustique generis poesis lyricae confecta esse certum est.[2]) Quaedam memoratu digna vero ex antiquis temporibus servata sunt, quibus verisimile fit in talibus carminibus illam concinnitatem libenter adhibitam esse. Primum Hesiodus in epithalamio Pelei et Thetidis hoc scripsit:

τρὶς μάκαρ Αἰακίδη | καὶ τετράκις ὄλβιε Πηλεῦ,

quem locum servavit Tzetzes in scholiis ad Lycophronem scriptis (ed. Müller, p. 261). Deinde unum certe exemplum ex tantulis fragmentis hymenaeorum Sapphus afferre possum, cui tria brevia membra parallela sunt, de quibus duo in uno, tertium in altero hemistichio exstat, cf. ed. Bergk. frg. 95 (pag. 122):

Ϝέσπερε πάντα φέρων, ὅσα φαίνολις ἐσκέδασ' αὔως,
φέρεις οἶν, φέρεις αἶγα, | φέρεις ἄπυ ματέρι παῖδα.

[1]) Cf. exempli gratia: Roßbach-Westphal, Griechische Metrik³, Leipzig 1889, p. 41. W. Koerber, De Graecorum hymenaeis et epithalamiis. Diss. Vratisl. 1877, p. 25. G. Lafaye, Catulle et ses modèles. Paris 1894, p. 65; 68.

[2]) Hoc viri docti plerique iudicaverunt, cf. Wilamowitz, l. l. p. 141. Koerber, l. l. p. 50sq. Schüler, De Catulli carmine LXII, Pars I., Stade 1899, pag. 12sqq.

Tum in epithalamio, quod in 18. idyllio Theocriti inest, duos versus symmetria dimidiorum exornatos invenimus (pag. 30.), de quibus maxime versus 49. ostendit, quam arte hoc carmen cum hymenaeis Sapphus cohaereat (cf. fgg. 103, 105), et versus 29sq. similitudines comparationibus illis bucolicis simillimas praebent. — Dignissimus autem memoratu est hymenaeus Catulli (c. 62); quod carmen, sicut carmen Parcarum nuptiis Pelei et Thetidis cantatum, generi bucolico propius accedere quam aliam poesim epicam iam intelligitur ex usu versuum intercalarium. Quem hymenaeum cum conscriberet, Catullum non artem Alexandrinorum doctrinae plenam expressisse, sed poesim ingeniosam suavem simplicem illius poetriae lyricae, etsi non carmen certum eius accurate vertit, secutum esse apparet. Artificia dicendi, si quae huius carminis 62. propria sunt, ex eodem fonte, quo totum carmen, fluxisse existimandum est. Iam afferam exempla eius symmetriae hemistichiorum, quae in hoc carmine inveni:

I, 1a:

α) 3: surgere iam tempus, iam pingues linquere mensas,
iam veniet virgo, | iam dicetur hymenaeus.[1])
18: dicere iam incipient, | iam respondere decebit.[2])

I, 1b:

α) 50: numquam se extollit, | numquam mitem educat uvam.
γ) 39: ut flos in saeptis secretus nascitur hortis,
ignotus pecori, | nullo convolsus aratro,

I, 2b:

α) v. 3: quem modo exscripsi.
15: nos alio mentes, | alio divisimus aures.

---

[1]) Hoc loco quamquam notiones minus aequales sunt quam alibi, non dubito, quin poeta hanc symmetriam quaesiverit; ea imprimis eo insignior fit, quod in versu praecedente eadem anaphora occurrit.

[2]) In hoc versu quidem verba finita notione parum sibi respondent, at certe congruentia membrorum manifesta manet.

28: quae pepigere[1] viri[2], | pepigerunt[1] ante parentes[2].

42: multi[1] illum pueri[2], | multae[1] optavere puellae[2].

44: nulli[1] illum pueri[2], | nullae[1] optavere puellae[2].

53: hanc nulli[1] agricolae[2], | nulli[1] coluere iuvenci[2].

55: multi[1] illam agricolae[2], | multi[1] coluere iuvenci[2].

II, 2a:

a) 63: tertia[1] pars[2] patri[3] est[4], | pars[2] est[4] data tertia[1] matri[3],[1])
tertia sola tua est: noli pugnare duobus.

Praeterea commemorandum est etiam ephymnium:

Hymen[1] o[2] Hymenaee[3], | Hymen[1] ades o[2] Hymenaee[3].

Hoc carmen igitur pro numero versuum tam parvo (restant enim versibus intercalaribus deductis 58) praebet 12 exempla huius aequabilitatis. Quamquam, quod commemoravit W. Meyer, Sitzungsberichte der bayrischen Akademie der Wissenschaften 1889, p. 249, semper fere in eo carmine finibus singulorum versuum enuntiata vel partes enuntiatorum dividuntur, tamen non solum ex ea re causam tam eximiae frequentiae illorum versuum bipartitorum repetendam esse apparet. Animadvertendum est eos fere omnes nulla alia membra eodem ordine coniuncta habere; in versibus 63sq. symmetria membro coniuncto augetur, cum ipsum quoque et illis parallelis paene ad verbum respondeat et finibus hemistichii includatur. Deinde ad membra coniungenda saepissime anaphora adhibita est, qua re symmetria multo insignior facta est eiusque suavitas aliquanto aucta est. Concedendum quidem est in maiore numero horum versuum hemistichiis aequalibus verba communia inserta esse: sed animadvertas velim in plerisque (cf. vv. 15, 28, 42, 44, 53, 55) symmetriam quam maxime ea ratione servatam esse, ut binis verbis utriusque coli aequatis singula verba membrorum communia adderentur. In versibus 42, 44, 53, 55, concinnitas

[1]) Hanc formam versus, quam e variis lectionibus librorum enucleatam plerique editores acceperunt, maxime probandam esse puto.

sane posita est substantivis eorumque attributis. Denique ex antithesi aequabilitas hemistichiorum nata est in uno versu (15), in quo verba: alio-alio correlativa sunt.

Sed ut demonstretur hoc notabile studium symmetriae, quod in hoc hymenaeo observatur, pertinere non ad artem doctam, quaesitam, aequabilitatis nimis studiosam inferiorum temporum, sed ad simplicitatem ac suavitatem poesis antiquae, nunc conferam illud epyllium Catulli (c. 64), in quo, quamvis talia a genere dicendi non aliena sint (cf. May, pagg. 80sqq.), haec hemistichia parallela multo rarius inveniuntur. In eo poemate, cui 408 versus vel sine repetitis versibus 396 sunt, inveniuntur hi versus, in quibus singula verba hemistichiorum sibi respondent.

I, 1a:

a) 140: non haec misere sperare iubebas,
sed[1] conubia[2] laeta,[3] | sed[1] optatos[3] hymenaeos.[2]

146: nil[1] metuunt[2] iurare,[3] | nihil[1] promittere[3] parcunt.[2]

148: dicta[1] nihil[2] metuere,[3] | nihil[2] periuria[1] curant.[3]

I, 1b:

a) 68: sed neque[1] tum[2] mitrae[3] | neque[1] tum[2] fluitantis[3] amictus[3]
illa vicem curans . . . ex te . . . Theseu . . . pendebat.

254: quae tum alacres passim lymphata mente furebant
euhoe[1] bacchantes,[2] | euhoe[1] capita[2] inflectentes.[2]

I, 2b:

a) 96: quaeque[1] regis Golgos[2] | quaeque[1] Idalium[2] frondosum,[2]

226: nostros[1] ut luctus[2] | nostraeque[1] incendia[2] mentis[2]
carbasus obscurata decet ferrugine Hibera.

336: qualis[1] adest Thetidi,[2] | qualis[1] concordia Peleo.[2]

δ) 2: dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas
Phasidos[1] ad fluctus[2] | et fines[2] Aeetaeos.[1]

II, 1 b:

a) 35: Deseritur Cieros, linquunt Phthiotica tempe
Crannonisque domos ac moenia Larisaea,
Pharsalum[1] coeunt[2], | Pharsalia[1] tecta[1] frequentant[2].

δ) 36: quem versum modo exscripsi.

In hoc epyllio tantum 11 tales versus leguntur, qui numerus minor est quam numerus illorum versuum, qui in brevi carmine 62. occurrunt. De iis hi: 226, 3, 36, praebent symmetriam, quae solum in substantivis eorumque attributis posita est; praeterea in versu 226. membra ratione syntactica minus aequalia sunt atque particula „ut" minus arte cum ceteris verbis versus coniuncta est. Deinde in versu 37. sibi respondent tantum singula verba eorumque obiecta. Ceterum imprimis commemorandum est tria clarissima exempla: vv. 141, 146, 148, esse illius partis lamentationis Ariadnae desertae, quae alia quoque exempla insignissima symmetriae praebet, cf. 143 ~ 144, 145 sq. ~ 147 sq.; hoc loco poeta concinnitate membrorum, quae semper synonyma sunt, puellam molliter et abunde querentem effinxit. Deinde in versu 255. ea concinnitas ac praecipue repetitio, ut opinor, pertinet ad modum carminum Dionysiorum imitandum. Tum versum 336. unum de his omnibus cum illis versibus 15, 28, 42, 44, 53, 55, carminis 62. comparandum esse facile intelligitur; quo versu, quoniam inter versus carminis nuptialis Parcarum legitur, etiam magis probatur talia imprimis ad hexametros huic suavi poesi cantatae propiores reddendos idonea esse. — Quoniam cognovimus symmetriam hemistichiorum, ut in carminibus bucolicis Vergilii, Theocriti, variorum poetarum Graecorum multo saepius quam in aliis carminibus adhibita est, ita in illo carmine nuptiali Catulli multo crebriorem esse quam in epyllio, etiam magis probatur ea artificia, quibus poetae bucolici suavitatem et gratiam simplicem carminibus suis comparabant, fluxisse e sermone carminum popularium lyricorum, cui poetas antiquos hymenaeorum, imprimis Sappho, item multum debuisse apparet. Huic stilo poesis popularis,

qui observatur et in carminibus bucolicis et in epithalamiis, oppositum est grandius genus dicendi, quo carmina epica scripta sunt.

Sed praetermittere nolim, quamquam pauci sunt, eos versus, qui ita compositi sunt, ut de tribus membris, quorum verba sibi respondent, duo in uno, unum in altero hemistichio collocatum sit; apparet enim hos quoque quandam symmetriam praebere. In Vergilii Bucolicis hic legitur:

8,43: duris in cotibus illum
aut Tmaros aut Rhodope | aut extremi Garamantes
nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt.

Idem raro invenitur in Georgicis et Aeneide; nam in illis quattuor libris hi occurrunt:

G.IV,392: novit namque omnia vates,
quae sint, quae fuerint, | quae mox ventura trahantur.

A. I, 486: ut spolia, ut currus, | utque ipsum corpus amici
tendentemque manus Priamum conspexit inermes.

Hoc genus concinnitatis saepius in carminibus bucolicis Theocriti, numquam in aliis invenitur:

1,115: *ὦ λύκοι, ὦ θῶες, | ὦ ἀν' ὤρεα φωλάδες ἄρκτοι,*
χαίρεθ'.

7,76: *εὖτε χιὼν ὥς τις κατετάκετο μακρὸν ὑφ' Αἷμον*
ἢ Ἄθω ἢ Ῥοδόπαν | ἢ Καύκασον ἐσχατόωντα.

11,10: *ἤρατο δ' οὐ μάλοις | οὐδὲ ῥόδῳ οὐδὲ κικίννοις.*

Deinde e carminibus aliorum poetarum bucolicorum hic versus laudandus est:

[Th.] 20,28: *ἁδὺ δέ μοι τὸ μέλισμα, καὶ ἢν σύριγγι μελίσδω,*
κἢν αὐλῷ λαλέω, | κἢν δώνακι, κἢν πλαγιαύλῳ.

Denique in illis duobus Catulli carminibus hexametris conscriptis unus talis versus occurrit:

62,41: quem mulcent aurae, | firmat sol, educat imber.

Videtur igitur talis quoque aequabilitas carminum bucolicorum et nuptialium magis propria esse quam epicorum.

Postremo mihi afferendi sunt nonnulli versus eclogarum bipartiti, qui, cum in iis verba singula parum sibi respondeant, cum talibus aliorum carminum comparari aegre possunt, sed non omnino praetermittendi sunt:

3, 30: bis venit ad mulctram, | binos alit ubere fetus.
3, 61: ille colit terras, | illi mea carmina curae.
3, 89: mella fluant illi, | ferat et rubus asper amomum.
5, 52: Daphnin ad astra feremus, amavit nos quoque Daphnis.
10, 69: omnia vincit Amor, | et nos cedamus Amori.

Exemplis, in quibus membra accurate incisione versus dividuntur, proxima sunt ea, in quibus coniunctio copulativa quidem ante caesuram posita est, ceterum in utroque hemistichio membra, quorum singula verba sibi respondent, exstant; quod genus aequabilitatis minoris momenti est. Tales sunt hi versus Bucolicorum Vergilii:

3, 87: iam cornu[1] petat[2] et | pedibus[1] qui spargat[2] harenam.
5, 37: infelix[1] lolium[2] et | steriles[1] nascuntur avenae[2].
5, 42: et[1] tumulum[2] facite[3] et[1] | tumulo[2] superaddite[3] carmen[3].
7, 51: curamus frigora, quantum
aut[1] numerum[2] lupus[3] aut[1] | torrentia[3] flumina[3] ripas[2].
10, 35: atque utinam ex vobis unus vestrique fuissem
aut[1] custos[2] gregis[3] aut[1] | maturae[3] vinitor[2] uvae[3],

ubi adiectivum „vestri“ pariter ad nomina „gregis“ et „uvae“ pertinere censeo. Versuum ita compositorum frequentia sane in illis libris Georgicon et Aeneidis fere eadem est, cf.: G. I, 100, 154, 263, G. IV, 134, 205, 259, A. I, 54, 90, 400, 424, 542, A. XII, 120, 693, 805; quod non mirum est, cum appareat in talibus versibus concinnitatem minorem esse quam in illis versibus supra tractatis, quos imprimis generis bucolici proprios esse cognovimus. Apud poetas bucolicos

Graecos talia exempla symmetriae desunt. Denique ex carmine 62. Catulli afferendus est hic versus:

58: cara[1] viro[2] magis[3] et | minus[3] est invisa[1] parenti[2];

quo versu haud scio an etiam verisimilius fiat genus hymenaeorum cum poesi bucolica aliquo modo cohaerere, quia mirum in modum cum Th. 1, 141, quem versum supra exscripsi, eo consentit, quod in priore dimidio adiectivum idem significans cum dativo coniunctum est, in altero iterum eadem notio figura, quae litotes dicitur, significata cum altero dativo. Contra in carmine 64. solum hoc exemplum legitur:

229: quae nostrum[1] genus[2] ac | sedes[2] defendere Erechthei[1]
adnuit, quod parum memorabile est.

§ 2. De symmetria partium versus, quae hemistichiorum proxima est.

Saepe quoque observatur concinnitas quaedam, quae accuratae symmetriae hemistichiorum proxima est. Ut in illis versibus duo membra eodem ordine coniuncta finibus singulorum hemistichiorum cohibentur et inter se caesura penthemimere vel trochaica dividuntur, ita in Bucolicis saepe versus inveniuntur, qui duo membra singulis notionibus sibi respondentia non tam accurate incisione divisa habent; in multis quidem exemplis membra parallela separata esse videmus caesura secundaria, i. e. semiseptenaria aut bucolica. In iis solis versibus eius generis quaedam aequabilitas colorum metricorum, ut puto, mansit, in quibus minimum bina verba, quae sibi respondent, in utroque hemistichio restant.[1])

---

[1]) Negligam igitur tales versus:

B. 1, 73: Insere[1] nunc, Meliboee, | piros[2], pone[1] ordine[2] vites[2].

7, 3: Thyrsis[1] oves[2], Corydon[1] | distentas[2] lacte[2] capellas[2].

Cuius quidem sententia magis eo inclinat, ut semiseptenariam caesuram principalem, si post 4. arsim gravior incisio sensus exstat, statuat, nonnullorum versuum a me omissorum rationem habebit atque versus hic enumeratos saepe aliter digeret; tamen certo tum non minus apparebit poetas magis in carminibus bucolicis quam in epicis partes versuum sibi respondentes appetivisse.

Iam videamus exempla, quae eclogae praebent. Ac primo loco eos versus congeram, in quibus verba communia, non ea verba, quae aliis respondent, fines hemistichiorum, ut ita dicam, transierunt.[1]) Ceterum isdem rationibus exempla distribuam, quibus antea usus sum:

Ia:

α) 1, 22: sic canibus catulos | similes, sic matribus haedos
noram,

10, 11: nam neque Parnasi | vobis iuga, nam neque Pindi
ulla moram fecere,

β) 1, 32: nec spes libertatis | erat nec cura peculi.

1, 62: aut Ararim Parthus | bibet aut Germania Tigrim.

10, 39: et nigrae violae | sunt et vaccinia nigra.

γ) 5, 70: ante focum, si frigus | erit, si messis, in umbra
vina novum fundam calathis Ariusia nectar.

7, 68: fraxinus in silvis | cedat tibi, pinus in hortis.

Ib:

β) 2, 54: et vos o lauri | carpam et te proxima myrte.

7, 64: nec myrtus vincet | corylos nec laurea Phoebi.

γ) 1, 45: pascite, ut ante, boves, | pueri, submittite tauros.

δ) 8, 49: crudelis mater | magis an puer improbus ille?

IIa:

α) 5, 32: vitis ut arboribus | decori est, ut vitibus uvae,
ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis,

γ) 7, 65: fraxinus in silvis | pulcherrima, pinus in hortis,
populus in fluviis, abies in montibus altis.

---

[1]) Hoc modo verba, quae ad praecedentia et sequentia pariter pertinent, libenter a Vergilio collocata esse cognovit M. Krafft, Zur Wortstellung Vergils. Altenburg 1887, pagg. 23 sqq.

IIb:

γ) 2, 63: torva[1] leaena[1] lupum[2] | sequitur, lupus[1] ipse[1] capellam[2],
florentem cytisum sequitur lasciva puella,
te Corydon, o Alexi.

7, 61: populus[1] Alcidae[2] | gratissima, vitis[1] Iaccho[2],
formosae myrtus Veneri, sua laurea Phoebo;

Deinde in altera classe ea exempla huius symmetriae numero, in quibus verbum quoddam, quod verbo alterius membri respondet, huic alteri hemistichio additum est: qua re illa aequabilitas invalidior quidem fit, cum ne verba sibi respondentia quidem in finibus propriorum hemistichiorum manserint, at non omnino tollitur. Eius generis sunt hi versus eclogarum:

I, 1 b:

α) 7, 4: ambo[1] florentes[2] | aetatibus[2], Arcades[2] ambo[1],

ubi sane notiones parum sibi respondent:

β) 6, 58: forsitan illum
aut[1] herba[2] captum[3] | viridi[2] aut[1] armenta[2] secutum[3]
perducant aliquae stabula ad Gortynia vaccae.

γ) 5, 1: Cur non Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
tu[1] calamos[2] inflare[3] | leves[2], ego[1] dicere[3] versus[2],

I, 2 a:

α) 4, 40: non[1] rastros[2] patietur | humus[3], non[1] vinea[3] falcem[2].

5, 77: dumque[1] thymo[2] pascentur | apes[3], dum[1] rore[2] cicadae[3].

II, 1 b:

β) 10, 29: nec[1] lacrimis[2] crudelis[3] | Amor[3] nec[1] gramina[3] rivis[2]
nec cytiso saturantur apes nec fronde capellae.

γ) 7, 57: aret[1] ager[2], vitio[1] | moriens[1] sitit[1] aëris[1] herba[2],
Liber pampineas invidit collibus umbras.

II, 2 a:

β) 5, 10: incipe, Mopse, prior, si quos aut Phyllidis ignes
aut[1] Alconis[2] habes | laudes[3] aut[1] iurgia[3] Codri[2].

10, 30: vide versus modo exscriptos.

His addo etiam hos versus, in quibus saltem pars alterius notionis parallelae, scilicet „feto“ et „formosae“ attributa, in finibus sui hemistichii restat:

II, 1 b:

γ) 3, 83: Dulce satis umor, depulsis arbutus haedis,
lenta[1] salix[1] feto[2] | pecori[2], mihi[2] solus[1] Amyntas[1].

7, 62: quem versum paulo supra laudavi.

Sed consideremus numeros exemplorum variarum classium et generum. Illi priori classi sunt omnino 15 exempla, quae sic a nobis digesta sunt: I: 11, II: 4; a: 9, b: 6; α: 3, β: 5, γ: 6, δ: 1. In altera classe 11 versus numeravimus; quot cuique speciei sint, ex hoc indice cognoscetur: I: 5, II: 6; 1: 7, 2: 4; a: 4, b: 7; α: 3, β: 4, γ: 4, δ: 0. Videmus igitur exempla classis prioris, quae concinnitatem magis servaverunt, frequentiora esse quam alterius. Ea, in quibus nullum membrum cum illis hemistichiis aequalibus eodem ordine coniunctum exstat (I), iterum plura sunt; in ceteris autem omnibus (II), si forte excipias v. 7, 58, ea alia membra, id quod iam in § 1 observavimus, maxime idonea sunt ad illam symmetriam confirmandam, quia singula verba eorum verbis aequalium optime respondent. Deinde quod attinet ad verba communia membris inserta, necesse est omnes versus prioris classis esse speciei, quam alibi numero 2 signavi; at animadvertendum est praeter haec vocabula post incisionem posita alia verba membrorum communia tantum in duobus (7, 64, 1, 45) occurrere. De versibus alterius classis plures esse sine verbo membrorum communi vidimus. Tum versus, in quibus illa congruentia accuratior hemistichiorum littera: a signata observatur, in summa totidem sunt atque ceteri (b). De generibus coniungendi iterum

observavimus plerumque anaphoram, repetitionem coniunctionum, asyndeton adhibitum esse, numquam coniunctionem unam nisi particulam interrogativam: „an". — Sed, ut supra, quaeramus, quatenus *ἦθος,* quod iis locis est, hanc suaviloquentiam effecerit, etsi nonnullos versus, qui cum versibus in § 1 tractatis coniuncti sunt, iam tractavimus. Imprimis hac suavi aequabilitate, quae amoena vel copiosa sunt, significantur: cf. 1, 45; 2, 54; 4, 40; 5, 11; 6, 59; 7, 4; 7, 61 sq.; 7, 64; 7, 65 sq.; 7, 68; 10, 39; his adiungo illas comparationes bucolici generis proprias: cf. 1, 22; 2, 63 sqq.; 3, 83 sq.; 5, 32 sq.; 5, 77; 10, 29 sq. Deinde iam antea vidimus talem symmetriam ad lenem maestitiam animi aptam a poeta existimatam esse: tales sunt hi versus: 7, 57; 10, 11; haec maestitia haud scio an cum irrisione quadam in v. 1, 32 coniuncta sit. Denique in paucis exemplis concinnitas imprimis ex antithesi orta esse videtur: cf. 1, 62; 5, 2; 5, 70, quibus addo interrogationem 8, 49. Ex his rebus quoque igitur patet Vergilium tales versus in Bucolicis non casu, sed consilio tam saepe adhibuisse. Commemorandum quoque est eum eo, quod praeter accuratam symmetriam hemistichiorum, de qua in § 1 egi, symmetriam huius generis appetivit, iucundiorem varietatem assecutum esse; hoc studium praecipue observamus his locis, quibus versus utriusque formae coniuncti sunt: 3, 83 sq., 5, 32 sq., 5, 76 sq., 7, 4 sq., 7, 65 sq.

Iamiam hanc aequabilitatem persequar per illos quattuor libros aliorum operum Maronis, quos iam antea in collationem adhibui. Sicut in enumeratione exemplorum eclogarum, hic in prima classe numero eos versus, in quibus aliquod verbum commune locum inter terminum membrorum grammaticorum et incisionem versus tenet:

Ia:

a) G. I, 51:

ventos et varium caeli praediscere morem
cura sit ac patrios cultusque habitusque locorum,
et[1] quid[2] quaeque[3] ferat[4] | regio, et[1] quid[2] quaeque[3] recuset.

G. I, 267:

nunc[1] torrete[2] igni[3] | fruges, nunc[1] frangite[2] saxo[3].

G. I, 418: Iuppiter uvidus austris

denset[1] erant quae[2] rara[3] | modo, et quae[2] densa[3] relaxat[1].

A. I, 749:

infelix Dido longumque bibebat amorem

multa[1] super[2] Priamo[3] | rogitans, super[2] Hectore[3] multa[1].

Ib:

a) G. I, 77:

urit[1] enim lini[2] | campum seges, urit[1] avenae[2],

urunt Lethaeo perfusa papavera somno.

A. I, 120:

iam[1] validam Ilionei[2] | navem, iam[1] fortis[2] Achati[2],

et qua vectus Abas et qua grandaevus Aletes,

vicit hiems.

A. I, 314:

cui mater media sese tulit obvia silva

virginis[1] os[2] habitumque[2] | gerens et virginis[1] arma[2],

A. I, 331:

et quo[1] sub[2] caelo[3] | tandem, quibus[1] orbis[3] in[2] oris[3]

iactemur, doceas.

A. XII, 151:

non[1] pugnam[2] aspicere hanc[2] | oculis, non[1] foedera[2] possum.

A. XII, 240:

ipsi[1] Laurentes[2] | mutati ipsique[1] Latini[2].

A. XII, 501: quos aequore toto

inque vicem nunc[1] Turnus[2] | agit, nunc[1] Troius[2] heros[2].

A. XII, 793:

quae[1] iam[2] finis[3] erit[3], | coniunx? quid[1] denique[2] restat[3]?

β) G. I, 129:

ille malum virus serpentibus addidit atris,

praedarique[1] lupos[2] | iussit pontumque[2] moveri[1],[1]) . . .

[1]) Hoc loco quidem singulae notiones minus aequales sunt.

γ) G. I, 453:

caeruleus pluviam | denuntiat, igneus euros.

A. I, 562:

solvite corde metum, | Teucri, secludite curas.

A. XII, 84:

qui candore nives | anteirent, cursibus auras.

δ) G. I, 139:

tum laqueis captare | feras et fallere visco
inventum et magnos canibus circumdare saltus.

A. XII, 10:

tum sic adfatur | regem atque ita turbidus infit.

A. XII, 584:

urbem alii reserare | iubent et pandere portas
Dardanidis ipsumque trahunt in moenia regem.

A. XII, 763:

quinque orbes explent | cursu totidemque retexunt
huc illuc.

A. XII, 870:

infelix crines scindit Iuturna solutos
unguibus ora soror | foedans et pectora pugnis.

IIa:

β) G. IV, 127: cui pauca relicti
iugera ruris erant, nec fertilis illa iuvencis
nec Cereri opportuna | seges nec commoda Baccho.

A. XII, 823:

ne vetus indigenas nomen mutare Latinos
neu Troas fieri iubeas Teucrosque vocari
aut vocem mutare | viros aut vertere vestem.

IIb.:

δ) A. XII, 824: quem versum modo excripsi.

Deinde ex his libris, ut ex Bucolicis, ea exempla collegi, in quibus non verbum membrorum commune, sed verbum, quod alteri respondet, finem hemistichii, ut ita dicam, transiit.

I, 1 b:

α) G. IV, 184:

omnibus[1] una[2] quies[3] | operum[3], labor[3] omnibus[1] unus[2].

A. I, 751:

nunc quibus Aurorae venisset filius armis,
nunc[1] quales[2] Diomedis[3] | equi[3], nunc[1] quantus[2] Achilles[3].

β) A. XII, 630:

nec[1] numero[2] inferior[3] | pugnae[3] nec[1] honore[2] recedes[3].

δ) A. I, 472: avertit equos in castra, priusquam
pabula[1] gustassent[2] | Troiae[1] Xanthumque[1] bibissent[2].

A. XII, 170:

saetigeri[1] fetum[2] | suis[2] intonsamque[1] bidentem[2]
attulit.

I, 2 a:

β) A. I, 178: frugesque receptas
et[1] torrere[2] parant | flammis[3] et[1] frangere[2] saxo[3].

δ) A. I, 498:

qualis in[1] Eurotae[2] | ripis[3] aut per[1] iuga[3] Cynthi[2]
exercet Diana choros

I, 2 b:

α) G. I, 289:

nocte[1] leves[2] melius | stipulae[2], nocte[1] arida[2] prata[2]
tondentur,

G. IV, 341:

Clioque et Beroe soror, Oceanitides ambae,
ambae[1] auro[2], pictis[2] | incinctae pellibus[2] ambae[1].

γ) A. XII, 597:

nusquam[(1)] acies[2] contra | Rutulas[3], nulla[(1)] agmina[2] Turni[3] [1])

[1]) Manifestum est concinnitatem hac varietate verborum: nusquam et nulla satis infirmari.

δ) A. XII, 241:

qui sibi[1] iam requiem[2] | pugnae[2] rebusque[1] salutem[2]
sperabant,

II, 1 a:

α) A. XII, 698:

deserit et muros et summas deserit arces
praecipitatque[1] moras[2] | omnes[3], opera[2] omnia[3] rumpit[1]
laetitia exsultans,

II, 1 b:

α) G. I, 385:

(volucres) umeris infundere rores,
nunc[1] caput[2] obiectare[2] | fretis[3], nunc[1] currere[2] in[3] undas[3]
et studium incassum videas gestire lavandi.

β) G. I, 130:

... praedarique lupos iussit pontumque moveri
mellaque[1] decussit[2] | foliis[2] ignemque[1] removit[2]
et passim rivis currentia vina repressit.

A. I, 142: tumida aequora placat
collectasque[1] fugat[2] | nubes[1] solemque[1] reducit[2].

II, 2 a:

β) A. I, 551:

quassatam ventis liceat subducere classem
et[1] silvis aptare[2] | trabes[3] et[1] stringere[2] remos[3].

Invenimus igitur in 2788 versibus 24 exempla illius prioris classis; numerum uniuscuiusque speciei brevissime indicabo: I: 21, II: 3; a: 6, b: 18; α: 12, β: 3, γ: 3, δ: 6. Altera classis praebet 16 exempla; singulae species praebent hos numeros: I: 11, II: 5; 1: 9, 2: 7; a: 4, b: 12; α: 6, β: 5, γ: 1, δ: 4. Videmus igitur summam talium versuum, id quod pariter de utraque classe dici potest, pro numero universorum versuum multo minorem in his quattuor libris esse quam in Bucolicis. Quod ad singulas species attinet, primum versus, quibus nulla alia membra eodem ordine coniuncta addita sunt (I), quidem multo crebriores sunt quam

ceteri (II); sed in nullo horum exemplorum, nisi in G. IV, 129, verba membrorum adiunctorum ita verbis membrorum aequatorum respondent, ut in omnibus fere talibus exemplis Bucolicorum, quae in §§ 1 et 2 laudata sunt, observavimus. Deinde in priore classe, quod in Bucolicis considerandis raro invenimus, alia verba membrorum communia praeter illud in medio versu collocatum saepius uni alterive hemistichio inserta sunt: cf. G. I, 419; G. I, 77; A. I, 120: A. XII, 151; A. XII, 502; A. XII, 84; G. I, 139; A. XII, 584; A. XII, 763; A. XII, 870; A. XII, 824, unde cognoscitur poetam plerumque in his carminibus symmetriam non arte et consilio adhibuisse. In altera classe sane verba communia membris parallelis inserta (2.) in minore numero exemplorum occurrunt. Tum versus, qui illam accuratiorem concinnitatem praebent (a), pro numero exemplorum multo rarius reperiuntur quam in Bucolicis. Denique membra aequalia hic coniuncta sunt saepe quidem anaphora, quae vero rectius correlatio his locis: A. XII, 502; A. I, 752; G. I, 386, dicenda est; deinde saepe particulae: et-et, aut-aut, etc. ad coniungendum adhibitae sunt, inter quas nonnullae non vere correlativae sunt: G. I, 130; G. I, 131; A. I, 143; A. I, 552; asyndeton autem satis raro invenitur, cuius locum quasi tenet in his libris epicis simplex particula copulativa, quae in quarto fere quoque exemplo occurrit. Sed praeterea quoque aliquot exempla minus insignia existimanda sunt quam exempla ex Bucolicis allata. Symmetria enim in A. XII, 170 posita est tantum in singulis notionibus earumque attributis, quibus insuper ne idem casus quidem est; saepe quoque, quod in exemplis Bucolicorum semel (1, 45) observatur, nihil nisi verba singula et eorum accusativi sibi respondent, id quod item minus memorabile esse dixi: cf. A. I, 562; A. XII, 584; A. XII, 763: A. I, 473; G. I, 131; A. I, 143. Deinde syntactica ratione hi versus: A. XII, 793; G. I, 386, congruentiam membrorum minus accuratam praebent quam alia exempla. His rebus quoque confirmatur symmetriam horum membrorum in Georgicis et Aeneide non solum rariorem esse, sed etiam saepius magis ad casum quam ad consilium poetae referendam

esse. Postremo nonnulla de sententia horum locorum dicenda sunt. Plerisque locis poeta ea membra parallela non certo consilio posuisse videtur. Suavitas vel copia rerum raro iis exprimitur: cf. A. I, 750; G. IV, 129; A. I, 498; G. IV, 342.[1]) Interdum membra propterea concinna esse videntur, quod gravius sibi opposita sunt: cf. G. I, 53; G. I, 419; G. I, 453; G. IV, 184. Denique membra parallela, quae idem significant, inveniuntur his locis: A. XII, 793; A. I, 562; A. XII, 10; A. XII, 824: A. XII, 597; hanc tautologiam, cum in exemplis bucolicis non observetur, potius elati generis dicendi esse quam suavis, ut antea dixi, existimo. Ut in § 1 igitur iterum cognovimus Vergilium hanc symmetriam multo aptiorem generi bucolico quam poesi heroicae et didacticae duxisse.

Ut appareat, cur talia in eclogis libentius adhibuerit, conspiciamus, ut supra, carmina Graecorum poetarum bucolicorum. Priusquam exempla eius generis aequabilitatis, quae apud Theocritum leguntur, exscribo, brevissime hic laudo eos versus eclogarum, qui ad certos locos Theocriti simili symmetria quadam praeditos facti sunt: 10, 11 ~ id. 1, 67, 10, 39 ~ id. 10, 28, 5, 32 sq. ~ id. 8, 79 sq., id. 18, 29 sq., 2, 63 sqq. ~ id. 10, 30 sq., 7, 4 ~ id. 8, 3, 5, 2 ~ id. 8, 4. Iam ex decem idylliis 1. 3.—11. exempla huius aequabilitatis, quam adhuc per Vergilii Bucolica et illos libros epicos persecuti sumus, conferam. Hos versus in priore classe, ut eadem divisione atque antea utar, numero:

Ia:

a) 1, 67: *ἢ^{1} κατὰ^{2} Πηνειῶ^{3} | καλὰ τέμπεα; ἢ^{1} κατὰ^{2} Πίνδω^{3};*

4, 31: *κεῖ^{1} μὲν τὰ^{2} Γλαύκας^{3} | ἀγκρούομαι, εἶ^{1} δὲ τὰ^{2} Πύρρω^{3}.*

8, 76: *ἁδεῖ^{1} ἁ^{2} φωνὰ^{3} | τᾶς πόρτιος, ἁδὺ^{1} τὸ^{2} πνεῦμα^{3}.*

Ib:

a) 8, 3: *ἄμφω τώγ' ἤστην πυρροτρίχω, ἄμφω ἀνήβω,*
ἄμφω^{1} συρίσδεν^{2} | δεδαημένω, ἄμφω^{1} ἀείδεν^{2}.

9, 14: *οὕτως^{1} Δάφνις^{2} ἄεισεν | ἐμὶν, οὕτως^{1} δὲ Μενάλκας^{2}.*

---

[1]) Cf. quae pag. 23 sq. exposui.

IIa:

α) 9, 7: ἁδὺ μὲν ἁ μόσχος | γαρύεται, ἁδὺ δὲ χἀ βῶς,
ἁδὺ δὲ χἀ σῦριγξ χὠ βουκόλος, ἁδὺ δὲ κἠγών.

IIb:

α) 4, 23: καὶ μὰν ἐς στομάλιμνον | ἐλαύνεται ἔς τε τὰ Φύσκω,
καὶ ποτὶ τὸν Νήαιθον, ὅπη καλὰ πάντα φύοντι,

8, 79: τᾷ δρυῒ ταὶ βάλανοι | κόσμος, τᾷ μαλίδι μᾶλα,
τᾷ βοῒ δ' ἁ μόσχος, τῷ βουκόλῳ αἱ βόες αὐταί.

γ) 8, 57: δένδρεσι μὲν χειμὼν | φοβερὸν κακόν, ὕδασι δ' αὐχμός,
ὄρνισιν δ' ὕσπλαγξ, ἀγροτέροις δὲ λίνα,
ἀνδρὶ δὲ παρθενικᾶς ἁπαλᾶς πόθος.

9, 31: τέττιξ μὲν τέττιγι | φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ,
ἴρηκες δ' ἴρηξιν, ἐμὶν δ' ἁ Μοῖσα καὶ ᾠδά.

Deinde exscribo exempla alterius classis, in quibus aliquod verbum, quod non ad membrum utrumque pariter pertinet, inter caesuram et finem membrorum collocatum est:

I, 1 b:

α) 1, 80: ἦνθον τοὶ βοῦται, | τοὶ ποιμένες, ᾡπόλοι ἦνθον.

I, 2 b:

α) 5, 104: ἔστι δέ μοι γαυλὸς | κυπαρίσσινος, ἔστι δὲ κρατήρ.

7, 105: εἴτ' ἔστ' ἆρα Φιλῖνος | ὁ μαλθακὸς εἴτε τις ἄλλος.

7, 143: πάντ' ὦσδεν θέρεος | μάλα πίονος, ὦσδε δ' ὀπώρας.

II, 1 b:

α) 9, 8: quem versum modo exscripsi.

γ) 7, 141: ἄειδον κόρυδοι | καὶ ἀκανθίδες, ἔστενε τρυγών,
πωτῶντο ξουθαὶ περὶ πίδακας ἀμφὶ μέλισσαι.

11, 20: λευκοτέρα πακτᾶς | ποτιδεῖν, ἁπαλωτέρα ἄρνος,
μόσχω γαυροτέρα, φιαρωτέρα ὄμφακος ὠμᾶς;

Videmus igitur priori classi 10 exempla esse; frequentia singulorum generum ex his numeris cognoscitur: I: 5, II: 5: a: 4, b: 6; α: 8, β: 0, γ: 2, δ: 0. In altera classe 7 versus collocavi; quot cuique speciei sint, ex hoc indice apparet: I: 4, II: 3; 1: 4, 2: 3; a: 0, b: 7; α: 5, β: 0, γ: 2, δ: 0. Primum cognoscitur hoc genus concinnitatis a Theocrito in his 10 idylliis, quamquam rarius quam in eclogis Vergilii, tamen non raro adhibitum esse; plurima pro rata parte exempla inveniuntur in idylliis, quae fortasse non a Theocrito scripta sunt. Sed videamus de variis generibus huius concinnitatis. Exempla, quae praeter illa gemina membra alia aequo ordine coniuncta habent (II), sunt quidem totidem fere quam reliqua (I), sed animadvertendum est illa eius generis esse, ut vix in ullo symmetria revera imminuatur. Deinde in versibus prioris classis praeter verba post caesuram collocata alia tantum in duobus exemplis: id. 9, 14 et 4, 23 hemistichiis inserta sunt; de versibus alterius classis plures sine ullo verbo membrorum communi sunt (1). Tum illa accuratior symmetria singularum notionum, quam littera: a signavi, quamquam rarius invenitur quam congruentia minus severa (b), tamen non deest. Denique haec membra parallela plerumque anaphora neque raro asyndeto, sed numquam particula copulativa coniuncta sunt; concedendum est mihi his locis: id. 9, 14 et 7, 105 verba repetita potius correlativa quam anaphorica esse. Porro antithesis gravior eam aequabilitatem in nullo exemplo genuisse videtur, neque illa membra parallela, quibus idem significatur, hic occurrunt. Ceterum de suavitate sententiarum, quae his colis aequatis enuntiantur, idem dicendum esse, quod de exemplis eclogarum supra enumeratis vidimus, facile intelligitur.

Iterum quaeramus, num in reliquis carminibus Theocriti versus hoc modo compositi tam frequenter inveniantur. Sicut in § 1 primum affero hos versus, qui in tribus mimis, id. 2, 14, 15, inveniuntur:

2, 1: *[1]Πᾷ μοι [2]ταὶ [3]δάφναι; | φέρε Θεστυλί· [1]πᾷ δὲ [2]τὰ [3]φίλτρα;*

qui versus vero cum illis exemplis propterea vix comparari

potest, quod haec: *φέρε Θεστυλί* non pars alterius membri sunt, sed enuntiatum primarium, quod interpositum est;

2, 44: *εἴτε γυνὰ τήνῳ | παρακέκλιται, εἴτε καὶ ἀνήρ,*

2, 150: *κεἴτε νιν αὖτε γυναικὸς | ἔχει πόθος, εἴτε καὶ ἀνδρός,*

15, 115: *εἴδατά θ' ὅσσα γυναῖκες ἐπὶ πλαθάνω πονέονται*

. . . *ὅσσα τ' ἀπὸ γλυκερῶ | μέλιτος τά τ' ἐν ὑγρῷ ἐλαίῳ.*

14, 48: *ἄμμες δ' οὔτε λόγω | τινὸς ἄξιοι, οὔτ' ἀριθμητοί.*

in his tribus idylliis igitur tantum 5 exempla exstant, quae insuper multo minus insignia quam illa bucolica sunt: in versibus 2, 44; 2, 150; 14, 48 enim praeter vocabula correlativa: *εἴτε — εἴτε, οὔτε — οὔτε* tantum singulae notiones sibi respondent[1]); in v. 15, 117 haec verba: *ὅσσα* et *τά, ἀπό* et *ἐν* parum aequalia sunt. — Deinde in encomiis, id. 16. et 17., haec exempla inveniuntur:

16, 71: *οὔπω μῆνας ἄγων | ἔκαμ' οὐρανὸς οὐδ' ἐνιαυτούς.*

16, 1: *Αἰεὶ τοῦτο Διὸς | κούραις μέλει, αἰὲν ἀοιδοῖς.*

In tot versibus horum carminum tantum hi versus eius generis leguntur, quorum symmetria etiam minus insignis est, cum praeter verba aequalia complura verba membrorum communia in iis occurrant; praeterea v. 16, 1 est illorum versuum in initio horum encomiorum positorum, in quibus concinnitas membrorum appetita est, cf. pag. 31. — Denique carmina heroica, id. 13, 22, 24, item pauca exempla eius symmetriae praebent:

22, 73: *εἴτ' οὖν ὀρνίθεσσιν | ἐοικότες εἴτε λέουσιν γινόμεθ',*

22, 150: *ἔνθα κόραι . . . τρέφονται*

μυρίαι οὔτε φυῆς | ἐπιδευέες οὔτε νόοιο.

22, 23: *ὦ ἄμφω θνητοῖσι | βοηθόοι, ὦ φίλοι ἄμφω.*

[1]) Ceterum in cantico idyllii 2. poeta magis quam in aliis partibus mimorum favit artificiis lyricum quendam sonum efficientibus, ut supra commemoravimus.

duos versus priores, sicut id. 2, 44; 2, 150; 14, 48; 16, 71 memoratu minus dignos esse apparet; in v. 22, 23 poeta consilio appetiisse symmetriam potius videtur, qui locus maxime cum illis exordiis carminum 16. et 17. comparandus est. Ex his rebus intelligitur Theocrito, sicut Vergilio, hoc studium concinnitatis visum esse imprimis stilo carminum bucolicorum aptum, minus aliorum poematum.

Sicut in § 1, exempla huius symmetriae, quae in illis tribus carminibus bucolicis posteriorum temporum: id. 20, 27, epitaphio Bionis leguntur, afferam: in id. 20. hoc unum inveni:

8: *ὡς μαλακὸν τὸ γένειον | ἔχεις, ὡς ἁδέα χαίταν.*

in carmine 27. nullum quidem exemplum occurrit; contra talia a poeta epitaphii Bionis compluries adhibita sunt:

115: *εἰ δυνάμαν δέ,*
ὡς Ὀρφεὺς καταβὰς | ποτὶ Τάρταρον, ὥς ποκ' Ὀδυσσεύς,
ὡς πάρος Ἀλκεΐδας,

5: *νῦν ῥόδα φοινίσσεσθε | τὰ πένθιμα, νῦν ἀνεμῶναι.*
33: *μάλων οὐκ ἔρρευσε | καλὸν γλάγος, οὐ μέλι σίμβλων.*
102: *ἄμμες δ' οἱ μεγάλοι | καὶ καρτεροί, οἱ σοφοὶ ἄνδρες*
65: *πάντα τοι ὦ βούτα συγκάτθανε δῶρα τὰ Μοισᾶν,*
παρθενικᾶν ἐρόεντα | φιλήματα, χείλεα παίδων.

pro rata parte igitur tales versus in hoc carmine satis frequentes sunt.

In illis tribus carminibus epicis posteriorum temporum, quae iam in § 1 his opposuimus, talia raro adhibita sunt; in id. 25. haec inveni:

123: *αἰεὶ δὲ πλέονες | κεραοὶ βόες, αἰὲν ἀμείνους*
ἐξ ἔτεος γίνοντο μάλ' εἰς ἔτος.
274: *οὐκ ἔσκε σιδήρῳ*
οὐδὲ λίθοις τμητὴ | πειρωμένῳ οὐδὲ μὲν ὕλῃ.

apertum est in hoc exemplo concinnitatem minus memorabilem esse, cum in priore non solum forma, sed etiam

sentententia propius ad poesim bucolicam accedat. In epyllio *Εὐρώπη* ea symmetria his locis adhibita est:

132: *φαίνετο δ' οὔτ' ἀκτή τις | ἁλίρροθος οὔτ' ὄρος αἰπύ.*

65: *τῶν ἣ μὲν νάρκισσον | ἐύπνοον, ἣ δ' ὑάκινθον*
ἣ δ' ἴον, ἣ δ' ἕρπυλλον ἀπαίνυτο,

qui versus non existimandi sunt exempla insigniora, quoniam in iis symmetria ex usu verborum correlativorum quasi fluxit. In carmine *Μεγάρα* nullum talem versum inveni. Hinc quoque cognitum est talem aequabilitatem imprimis generis bucolici propriam esse.

Symmetriam hemistichiorum in § 1, ut ostenderem hanc in poesi docta non magis quam in carminibus simplicibus adhibitam esse, persecutus sum per carmina 62. et 64. Catulli. Eadem ratione conferam exempla concinnitatis hac paragrapho tractatae, quae in his duobus carminibus inveniuntur. In carmine 62. hic versus occurrit:

47: nec pueris iucunda | manet nec cara puellis.

In epyllio autem haec exempla inveniuntur:

166: nec missas audire | queunt nec reddere voces,
ubi quodam modo etiam haec „missas“ et „voces“ sibi respondent;

101: cum saevum cupiens contra contendere monstrum
aut mortem appeteret | Theseus aut praemia laudis.

85: magnanimum ad Minoa | venit sedesque superbas.[1])

Videmus igitur in hoc epyllio exempla eius concinnitatis neque pro numero omnium versuum crebra et multo minus insignia esse quam exemplum hymenaei; nam in versibus 166. et 102. praeter coniunctiones correlativas tantum singulae notiones sibi respondent, in versu 85. tantum singula

[1]) In his versibus numeraremus etiam hunc:

118: „ut consanguineae | complexum, ut denique matris“

nisi de hoc „matris“ enuntiatum relativum penderet.

nomina cum attributis coniuncta. Itaque, quamquam non plus unum versum eius generis in carmine 62. observavimus, tamen eo id, quod supra statui, confirmatur hoc suave genus dicendi carminum nuptialium ea re congruere cum bucolico, quod ei talia membra parallela aptissima sunt.

§ 3. De symmetria versuum.

Quoniam Vergilium, ut antea Graecos poetas bucolicos, in carminibus bucolicis libenter hemistichiis, quorum singula verba sibi respondent, usum esse, cum idem artificium in stilo epico multo minus adhiberetur, probavi, transeo ad versus coniunctos, qui grammatica ratione symmetriam praebent. Hanc aequalitatem versuum, cum in his numerus vocabulorum maior sit quam in hemistichiis, vix umquam tam accuratam esse quam illorum brevium colorum iam exspectandum est; nam, ni ita esset, ea symmetria potius artificiosa et immoderata quam dulcis esset. Itaque in his versibus parallelis enumerandis tam severam syntacticam concinnitatem, quam in hemistichiis observavimus, postulare non debemus; cum autem symmetria liberior sit, apparet difficilius esse dijudicare, quae loca afferenda sint, quae iam praetermittenda.

Exempla eius congruentiae in varias classes distribuam. Primo loco ea paria versuum laudabo, quae quattuor membris parallelis ita constant, ut utrique versui bina sint; cum haec exempla, in quibus partes singulorum versuum quoque sibi respondent, iam in §§ 1 et 2 exscripta sint, hic ea breviter citare velim: 3, 56 sq., 5, 76 sq., quibus locis membra in priore versu et membra in altero posita inter se paulo artius cohaerent, 5, 32 sq., 10, 29 sq., 3, 80 sq., 3, 82 sq., 7, 61 sq., 7, 65 sq. Inveniuntur igitur in Bucolicis 8 exempla huius symmetriae. His locis symmetria minime e casu, sed ex consilio poetae nata est, id quod praesertim his rebus confirmatur. In nullo horum exemplorum concinnitas aliis membris praeter ea quattuor coniunctis imminuitur. Deinde in nullo exemplo verba, quae membrorum aequalium communia sunt, tot sunt,

ut iis symmetria obscuretur. Tum membra coniuncta sunt repetitione vocabulorum aut asyndeta sunt, numquam autem simplex particula copulativa adhibita est. Commemorare etiam velim nonnumquam eundem locum utriusque versus esse finem membrorum: cf. 3, 56 sq., 10, 29 sq., 3, 80 sq. Saepe quoque symmetria eo confirmatur, quod eadem vocabula isdem locis versuum posita sunt: cf. 3, 56 sq.: nunc, 5, 76 sq.: dum (bis), 5, 32 sq.: ut, 10, 29 sq.: nec (bis), 7, 65 sq.: in; quo accedit, ut non raro in his exemplis verba, quae sibi respondent, eosdem pedes occupent. Denique in versibus 5, 76 sq. symmetria propterea magis mente percipi mihi videtur, quod hi versus gemini habent enuntiatum primarium, quod ipsum quoque unum versum implet: „semper honos nomenque tuum laudesque manebunt." [1]) — Deinde eos locos afferam, quibus tria membra aequalia ita coniuncta sunt, ut duo in uno versu, unum in altero positum sit; tales sunt hi versus eclogarum:

2, 63: torva leaena lupum sequitur, lupus ipse capellam,
florentem cytisum sequitur lasciva capella,
te Corydon, o Alexi:

4, 6: iam redit et virgo, redeunt Saturnia regna,
iam nova progenies caelo demittitur alto.

Quamquam in his duobus exemplis, praesertim in 4, 6 sq., membra prioris versus inter se artius connexa sunt quam cum tertio, tamen symmetria quaedam consilio appetita exstare mihi videtur. Animadvertendum est in versibus 2, 63 sq. concinnitatem aliquanto auctam esse his verbis eadem sede repetitis: sequitur-sequitur, capellam-capella. — In altera classe numero eos versus, qui eo symmetriam

[1]) Cum idem versus in A. I, 609 occurat atque ei similia praecedant, utile erit haec comparare cum illis versibus Bucolicorum:

„in freta dum fluvii current, dum montibus umbrae
lustrabunt, convexa polus dum sidera pascet,"

in quibus versibus ut res magnificentiores quam venustiores enuntiantur, ita pro illa symmetria Bucolicorum propria genus dicendi, quod carmini heroico aptius est, adhibitum esse videmus.

faciunt, quod non solum quaedam verba eorum sibi respondent, verum etiam utrique versui, vel interdum tribus versibus continuis, bina substantiva, quorum utrique attributum est, quae verba plerumque variis modis implicata sunt,[1]) praeter verbum finitum, ut particulam copulativam negligam, sunt. Eius generis sunt hi versus Bucolicorum:

5, 16: lenta salix quantum pallenti cedit olivae,
puniceis humilis quantum saliunca rosetis,
iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.

ubi in altero versu vox „quantum" quasi loco verbi finiti est,

1, 33: quamvis multa meis exiret victima saeptis
pinguis et ingratae premeretur caseus urbi,
non umquam gravis aere domum mihi dextra redibat.

1, 49: non insueta graves temptabunt pabula fetas,
nec mala vicini pecoris contagia laedent.

4, 28: molli paulatim flavescet campus arista,
incultisque rubens pendebit sentibus uva,
et durae quercus sudabunt roscida mella,

ubi sane in versu 28. adverbium loco alterius attributi positum est. In his exemplis, quamquam nonnulla verba parum sibi respondent, si ad sententiam spectamus, tamen aequabilitatem non mediocrem eo effectam esse puto, quod uterque versus tali symplegmate substantivorum, adiectivorum, verbi finiti exornatus est. Haec symmetria ubique eo clarior facta est, quod quaedam verba aequalia easdem sedes versuum tenent. Etiam commemorandum esse puto in versibus 5, 16sq. et 1, 33sq. symmetriae commodo esse illa enuntiata primaria, quae, cum singulos versus item expleant, illa paria versuum quasi astrictius continent; praecipue versus 5, 18 animadvertendus est, cuius plura verba verbis versuum antecedentium ipsa quoque respondent. Huic classi adiungere velim hos versus:

---

[1]) Eam collocationem verborum a poetis praecipue ad dulce genus dicendi efficiendum libenter adhibitam esse R. Heinze, Virgils epische Technik², Leipzig 1908, pag. 429 adn. 1 admonuit.

4, 4: Ultima Cumaei venit iam carminis aetas,
magnus ab integro saeclorum nascitur ordo,

qui eo congruunt praeter universam similitudinem sententiae, quod verba inter se coniuncta in utroque versu a centro, ut ita dicam, pariter digrediuntur. — Tertio in versibus parallelis numerandos esse censeo eos versus aequo ordine coniunctos, in quibus complures notiones, quae maiorem partem eorum tenent, sibi respondent; huius generis sunt haec exempla:

6, 29: nec tantum Phoebo gaudet Parnasia rupes,
nec tantum Rhodope miratur et Ismarus Orphea.
9, 30: sic tua Cyrneas fugiant examina taxos,
sic cytiso pastae distendant ubera vaccae,
8, 29: Mopse novas incide faces: tibi ducitur uxor.
sparge marite nuces: tibi deserit Hesperus Oetam.
4, 19: errantes hederas passim cum baccare tellus
mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.
5, 67: pocula bina novo spumantia lacte quotannis
craterasque duo statuam tibi pinguis olivi.
7, 29: Saetosi caput hoc apri tibi, Delia, parvus
et ramosa Micon vivacis cornua cervi.

Ut in exemplis supra allatis, etiam in his symmetria saepe eo confirmatur, quod verba, quae sibi respondent, in isdem pedibus versuum posita sunt; in versibus 7, 29sq. hoc animadvertendum esse mihi videtur, quod prius hemistichium prioris versus et alterum alterius expletum est ternis de quaternis vocabulis aequalibus. — Denique quod attinet ad ἦθος omnium horum exemplorum, de primis illis octo vide, quae antea dixi; in ceteris item fere omnibus res, quae iucundae sunt et suavi copia praesto sunt, significantur: cf. 5, 16sq., 1, 33sq., 1, 40sq., 4, 28sqq., 6, 29sq., 9, 30sq., 4, 19sq., 5, 67sq., 7, 29sq.; in his versibus: 4, 4—7. enuntiatio rerum suavium cum maiore quadam sublimitate coniuncta esse mihi videtur.

Sed ut comperiamus, num symmetria versuum, sicut hemistichiorum, a Vergilio in Bucolicis magis appetita sit

quam in carminibus ceteris, conferamus exempla ex illis quattuor libris epicis: G. I, IV, A. I, XII, collecta. Primae classis illis versibus tantum hi versus similes sunt:

G. I, 341: tum pingues agni et tum mollissima vina,
tum somni dulces densaeque in montibus umbrae,

quo loco cum deliciae veris eodem fere modo atque in idylliis celebrentur, etiam sententia prope ad poesim bucolicam accedit; tamen symmetriam minorem esse quam in plerisque illorum exemplorum bucolicorum facile cognoscitur. Multo longius ab his tales versus absunt, quos in aliis paragraphis exscripsi: A. I, 120 sq., A. I, 413 sq., A. XII, 824 sq., A. XII, 903 sq. Quae exempla potius docent, ut opinor, symmetriam huius generis in Bucolicis tam saepe adhibitam ab eodem Vergilio in sermone epico vitatam esse quam appetitam; semper enim coniunctiones ita variatae sunt, ut concinnitas quattuor membrorum quam maxime imminueretur. Sed non solum in his quattuor libris, sed etiam in ceteris duobus Georgicon et decem Aeneidos desunt exempla huius symmetriae, quae cum illis octo locis Bucolicorum iure conferri possint.[1]) Patet igitur hanc aequabilitatem duorum versuum, qui binis membris parallelis constant, generis bucolici propriam, si quicquam, ducendam esse, id quod infra usu Theocriti eiusque imitatorum certius demonstrabitur. — Paulo frequentiora in genere epico sunt ea exempla symmetriae, quae duo membra aequalia in uno versu, unum in altero praebent:

A. XII, 826: sit Latium, sint Albani per saecula reges,
sit Romana potens Itala virtute propago.

A. I, 751: nunc quibus Aurorae venisset filius armis,
nunc quales Diomedis equi, nunc quantus Achilles.

G. I, 77: urit enim lini campum seges, urit avenae,
urunt Lethaeo perfusa papavera somno.

Pro rata parte igitur etiam hoc genus symmetriae in Bucolicis saepius invenitur quam in libris epicis. — Trans-

---

[1]) Hi versus forsitan inter omnes illis simillimi sunt: A. II, 29 sq., A. II, 197 sq., A. III, 119 sq., A. IV, 369 sq., A. V, 73 sq.

eundum est ad exempla alterius classis, quae in his quattuor libris occurrunt:

G. IV, 260: tum sonus auditur gravior tractimque susurrant,
frigidus ut quondam silvis immurmurat auster,
ut mare sollicitum stridit refluentibus undis,
aestuat ut clausis rapidus fornacibus ignis,

quod exemplum cum B. 4, 28 sqq. mirum in modum eo consentit, quod in primo trium talium versuum adverbium pro altero attributo exstat:

G. I, 7: Liber et alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista
poculaque inventis Acheloia miscuit uvis.

G. I, 494: agricola incurvo terram molitus aratro
exesa inveniet scabra robigine pila
aut gravibus rastris galeas pulsabit inanes
grandiaque effossis mirabitur ossa sepulchris,

ubi vero concinnitas minus accurata propterea est, quod verba „incurvo terram molitus aratro" non pariter ad hos tres versus parallelos pertinent, sed solum ad primum;

G. I, 297: at rubicunda Ceres medio succiditur aestu
et medio tostas aestu terit area fruges,

ubi ea concinnitas nomine „area" minor redditur. Huius secundae classis igitur exempla in his libris I. et IV. Georgicorum totidem sunt atque in libro Bucolicorum; nullus autem locus eius generis in illis duobus libris Aeneidis occurrit, quod ea re factum est, quod Vergilius in carmine heroico multo rarius duo substantiva cum singulis attributis in uno versu collocavit quam in poematibus ceteris.[1]) — Plura autem exempla quam harum classium inveniuntur tertiae classis in libris epicis; in ea hi versus nobis numerandi sunt, in quibus complures notiones sibi respondent:

G. I, 335: hoc metuens caeli menses et sidera serva,
frigida Saturni sese quo stella receptet,
quos ignis caelo Cyllenius erret in orbes.

[1]) Cf. Norden, l. l. pag. 387.

G. IV, 23: (ut) vicina invitet decedere ripa calori
obviaque hospitiis teneat frondentibus arbos.

A. XII, 744: undique enim densa Teucri inclusere corona
atque hinc vasta palus, hinc ardua moenia cingunt.

G. IV, 329: quin age et ipsa manu felices erue silvas,
fer stabulis inimicum ignem atque interfice messes,
ure sata et duram in vites molire bipennem,

ubi verba horum duorum versuum quasi chiastico ordine sibi respondent,

A. I, 466: namque videbat, uti bellantes Pergama circum
hac fugerent Grai, premeret Troiana juventus,
hac Phryges, instaret curru cristatus Achilles.

A. I, 569: seu vos Hesperiam magnam Saturniaque arva
sive Erycis fines regemque optatis Acesten,
auxilio tutos dimittam opibusque levabo.

G. I, 84: saepe etiam steriles incendere profuit agros
atque levem stipulam crepitantibus urere flammis.

G. I, 208: libra die somnique pares ubi fecerit horas
et medium luci atque umbris iam dividit orbem,

G. I, 221: ante tibi Eoae Atlantides abscondantur
Gnosiaque ardentis decedat stella Coronae,

G. IV, 407: fiet enim subito sus horridus atraque tigris
squamosusque draco et fulva cervice leaena,

A. I, 265: tertia dum Latio regnantem viderit aestas
ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.

A. I, 411: at Venus obscuro gradientes aëre saepsit
et multo nebulae circum dea fudit amictu.

A. XII, 742: ergo amens diversa fuga petit aequora Turnus
et nunc huc inde huc incertos implicat orbes.

Videmus igitur exempla huius quoque classis in carminibus epicis pro rata parte, etiamsi non multo, rariora esse quam in Bucolicis. Praeterea mihi videtur in versibus horum librorum saepius dubium esse, utrum symmetria ad consilium poetae an ad casum referenda sit. Nam primum in exemplis huius classis ex eclogis allatis pro rata parte rarius verba

utriusque versus communia uni addita sunt quam in exemplis horum librorum. Deinde in his versibus plerumque membra simplici particula coniuncta sunt, quare symmetria imminuitur. De sententia horum versuum ex Georgicis et Aeneide allatorum videmus hanc symmetriam raro ad res amoenas exprimendas adhibitam esse, ut plerumque in Bucolicis. Illius de Aristaeo fabulae sunt duo exempla: G. IV, 329sqq., 407sq. Antithesis gravior observatur in his versibus: A. I, 467sq., A. I, 569sq. Saepius enuntiata parallela in his carminibus epicis paene synonyma sunt: cf. G. I, 84sq., G. I, 208sq., A. I, 411sq., quibus similes sunt hi loci: G. IV, 23sq., A. I, 265sq., A. XII, 742sq.; talia magis ad gravitatem altioris stili quam ad suavitatem et venustatem pertinere videntur, ut supra dixi. Commemorare etiam velim enuntiato primario, quod unum versum explet, sequenti hoc tantum loco: A. I, 500sqq. versus parallelos artius connecti, sicut in B. 1, 33sqq. et 5, 16 sqq.; sane duobus locis: G. IV, 260sqq. et G. I, 335sq., simili modo tale enuntiatum primarium praemissum est. Cognovimus igitur adhuc exempla huius symmetriae versuum, ut eorum artificiorum, quae in §§ 1 et 2 observavimus, in carminibus bucolicis et frequentiora et clariora esse, quam in epicis.

Sed quaerendum est, num hoc quoque genus concinnitatis iam a Graecis poetis poesi bucolicae imprimis aptum existimatum sit. In illa prima classe numeranda sunt haec paria versuum Theocriti, quippe quae membris quaternis constant; cum omnia in § 1 vel 2 iam exscripta sint, ea breviter in memoriam revoco: 8, 79sq., 9, 7sq., 11, 20sq., 11, 45sq., 8, 3sq., quo loco duo membra alterius versus inter se paulo artius quam cum ceteris conjuncta sunt, 10, 30sq., ubi tria priora membra inter se magis cohaerent quam cum extremo; denique mihi addendi sunt hi versus: 8, 57sqq. in § 2 exscripti, qui eo ab ceteris differunt, quod et illorum versuum elegiacorum sunt et quintum membrum aequo ordine conjunctum in tertio versu adnexum est: hunc locum nihilominus huc trahendum esse inde cognoscitur, quod is ipse exemplum fuit versuum 80sq. eclogae 3. Apparet igitur

Theocritum item tales versus aequales libenter in idylliis bucolicis adhibuisse. Deinde ad eos accedamus, quorum uni sunt duo membra eodem ordine coniuncta, alteri unum. Eius generis sunt hi loci:

1, 68: *οὐ γὰρ δὴ ποταμοῖο μέγαν ῥόον εἶχετ' Ἀνάπω,*
οὐδ' Αἴτνας σκοπιάν, οὐδ' Ἄκιδος ἱερὸν ὕδωρ.

1, 71: *τῆνον μὰν θῶες, τῆνον λύκοι ὠρύσαντο,*
τῆνον χὡκ δρυμοῖο λέων ἔκλαυσε θανόντα.

1, 74: *πολλαί οἱ πὰρ ποσσὶ βόες, πολλοὶ δέ τε ταῦροι,*
πολλαὶ δὲ δαμάλαι καὶ πόρτιες ὠδύραντο.

8, 76: *ἁδεῖ' ἁ φωνὰ τᾶς πόρτιος, ἁδὺ τὸ πνεῦμα·*
ἁδὺ δὲ τῶ θέρεος παρ' ὕδωρ ῥέον αἰθριοκοιτεῖν.

In his exemplis concinnitatem etiam insigniorem factam esse eo apparet, quod membra semper repetitione verborum coniuncta sunt. — Exempla autem, quae in altera classe numerare possimus, desunt apud Theocritum, quod non adeo miramur, cum illa figura, quae efficitur duobus substantivis eorumque attributis in uno versu cumulatis, in sermone poetarum Graecorum multo rarior sit quam Latinorum.[1]) — Exempla tertiae classis aliquanto rarius leguntur quam in Bucolicis Vergilii; haec afferre possum:

11, 23: *φοιτῇς δ' αὖθ' οὕτως, ὅκκα γλυκὺς ὕπνος ἔχῃ με,*
οἴχῃ δ' εὐθὺς ἰοῖσ', ὅκκα γλυκὺς ὕπνος ἀνῇ με,
φεύγεις δ' ὥσπερ ὄις πόλιον λύκον ἀθρήσασα.

8, 28: *χοἱ μὲν παῖδες ἄυσαν, ὁ δ' αἰπόλος ἦνθ' ἐπακοῦσαι,*
χοἱ μὲν παῖδες ἀείδεν, ὁ δ' αἰπόλος ἤθελε κρίνειν.

1, 120: *Δάφνις ἐγὼν ὅδε τῆνος ὁ τὰς βόας ὧδε νομεύων,*
Δάφνις ὁ τὼς ταύρως καὶ πόρτιας ὧδε ποτίσδων.

5, 58: *στασῶ δ' ὀκτὼ μὲν γαυλὼς τῷ Πανὶ γάλακτος.*
ὀκτὼ δὲ σκαφίδας μέλιτος πλέα κηρί' ἐχοίσας.

Quamquam igitur exempla huius classis non adeo frequentia sunt, tamen ea satis insignia esse apertum est; imprimis in tribus prioribus concinnitas propterea maxime mente et

[1]) Cf. Norden, l. l. pag. 389.

auribus percipitur, quod verba vel eadem vel quae sibi respondent et quandam similitudinem soni praebent, isdem in sedibus posita sunt. Facile cognoscitur semper fere res, quae his hexametris enuntiantur, huic symmetriae suavi aptissimas esse. Antithesis gravior tantum in primo exemplo observatur.

Sed etiam de hac re comparanda sunt nobis alia carmina eiusdem Theocriti. Primum in tribus mimis, id. 2, 14, 15, haec exempla occurrunt:

2, 38: *ἠνίδε σιγῇ μὲν πόντος, σιγῶντι δ' ἀῆται·*
ἁ δ' ἐμὰ οὐ σιγῇ στέρνων ἔντοσθεν ἀνία.

2, 78: *τοῖς δ' ἦς ξανθοτέρα μὲν ἑλιχρύσοιο γενειάς,*
στήθεα δὲ στίλβοντα πολὺ πλέον ἢ τὺ Σελάνα,
ὡς ἀπὸ γυμνασίοιο καλὸν πόνον ἄρτι λιπόντων,

quae exempla memoratu tam digna quam bucolica illa vix sunt; nam in versibus 2, 38sq. aequabilitas imprimis ad oppositionem magis efferendam pertinet, in versibus 2, 78sqq. symmetria eo, quod verba in v. 80. sequentia magis ad alterum membrum quam ad prius spectant, paulo infirmatur.[1]) — In epithalamio Helenae, idyllio 18, haec inveni:

29: *πιείρᾳ μέγα λᾷον ἀνέδραμε κόσμος ἀρούρᾳ*
ἢ κάπῳ κυπάρισσος ἢ ἅρματι Θεσσαλὸς ἵππος,[2])

qui versus generi bucolico quasi propinqui sunt. — Deinde in encomiis hi versus paralleli leguntur: 17, 82 sq. et 17, 110sq., qui in § 1 exscripti sunt; in his poeta, ut ibi dixi, eam concinnitatem appetivisse videtur, ut magnum numerum gravius significaret. Praeter hos pauci loci exstant:

10, 3: *Μοῖσαι μὲν θεαὶ ἐντί, θεοὺς θεαὶ ἀείδοντι.*
ἄμμες δὲ βροτοὶ οἵδε, βροτοὺς βροτοὶ ἀείδωμεν,

10, 30: *ὄφρα καὶ εἰν Ἀίδαο κεκρυμμένος ἐσθλὸς ἀκούσῃς*
μηδ' ἀκλεὴς μύρηαι ἐπὶ ψυχροῦ Ἀχέροντος,

17, 30: *τῷ μὲν τόξον ἔδωκεν ὑπωλένιόν τε φαρέτρην,*
τῷ δὲ σιδάρειον σκύταλον κεχαραγμένον ὄζοις.

[1]) Versus 2, 120sq. hic non laudavi, cum symmetria attributo in versu 122. posito tolli mihi videatur.

[2]) Versum 29. sic legendum esse, ut Ahrens voluit, pro certo habeo.

Exemplum memoratu dignissimum: id. 16, 3sq. est illius prooemii, in quo poetam symmetriam appetivisse antea vidimus; deinde in id. 16, 30sq. utroque membro idem fere effertur, quod imprimis altioris stili esse saepius cognovimus; denique in id. 17, 30sq. praeter pronomina correlativa tantum singulae notiones sibi respondent, ut saepe in stilo epico. Afferat aliquis fortasse etiam hos versus: id. 17, 26sq., ubi vero versus ratione syntactica minus sibi respondent, quam ut iure hic enumerari possint. — In illis tribus epylliis, id. 13, 22, 24, tales versus paralleli fere omnino desunt, qua re bene demonstratur eos stilo epico multo minus aptos esse. In idyllio 13. hi versus symmetriam eius generis, etsi non insignissimam, praebent:

14: *ὡς αὐτῷ κατὰ θυμὸν ὁ παῖς πεπονημένος εἴη,*
αὐτῷ δ' εὖ ἕλκων ἐς ἀλαθινὸν ἄνδρ' ἀποβαίη,

quorum versuum alter corruptela non vacuus esse videtur. In idylliis 22. et 24. nullum exemplum invenitur; at hic locus, etiamsi non in illis exemplis symmetriae numerandus est, tamen ad eos prope accedit:

24, 7: *εὕδετ' ἐμὰ βρέφεα γλυκερὸν καὶ ἐγέρσιμον ὕπνον,*
εὕδετ' ἐμὰ ψυχά, δύ' ἀδελφεοί, εὔσοα τέκνα,

his autem versibus, sicut exemplo hemistichiorum aequalium in versu 9, quod solum in toto poemate invenitur, confirmatur talem symmetriam ad genus dicendi suave et populare pertinere.

Adhuc cognovimus exempla versuum parallelorum, sicut iis eclogae Vergilii magis abundant quam libri epici, in ceteris carminibus Theocriti rarius inveniri ac plerumque minus clara esse quam in bucolicis. Imprimis illa symmetria quattuor membrorum in duobus versibus collocatorum non observatur, sicut exempla in Vergilii carminibus epicis vix occurrunt.[1]) Tria membra autem in duobus versibus composita non desunt

---

[1]) Hoc proprium esse generis bucolici etiam ex eo cognoscitur, quod in carmine bucolico Bionis adhibitum est, cf. fr. 6, 7sq. (Wilamowitz p. 141)

ὡς εὗρεν πλαγίαυλον ὁ Πάν, ὡς αὐλὸν Ἀθάνα,
ὡς χέλυν Ἑρμάων, κίθαριν ὡς ἁδὺς Ἀπόλλων.

in his idylliis, cf. 2,38 sq., 18,29 sq., 17,110 sq. Ceterum de versibus tertiae classis dicendum est nullos tam accurate sibi respondere praeter versus id. 16,3 sq. quam illos versus Bucolicorum.

Transeamus ad illa carmina inferiorum poetarum bucolicorum. In idyllio 20. tales versus desunt. Neque inveniuntur in idyllio 27. quod non mirum est, quoniam eius maxima pars est, ut ita dicam, stichomythia. Postremo poeta epitaphii Bionis hoc artificio tam libenter usus est, ut longum sit locos exscribere: cf. versus 1 sq., 20 sq., 26 sq., 51 sq., 53 sq.; praecipue nonnumquam, quo neque Theocritus neque Vergilius progressus est, plus tres versus parallelos coniunxit, cf. versus 3—8, 37—44, 87—92; quorum locorum schema idem est in ea re, quod poeta semper in extrema serie hanc severam symmetriam versuum deseruit.

His opponam illa carmina epica, quae inscribuntur: *Ἡρακλῆς*, *Εὐρώπη*, *Μεγάρα*; in quibus tales versus non inveniuntur; comparari tantum hic locus carminis *Ἡρακλῆς* potest:

9: *ἀλλ᾽ αἳ μέν ῥα νέμονται ἐπ᾽ ὄχθαις Εἱλίσσοντος,*
αἳ δ᾽ ἱερὸν θείοιο παρὰ ῥόον Ἀλφειοῖο,
αἳ δ᾽ ἐπὶ Βουπρασίου πολυβότρυος, αἳ δὲ καὶ ὧδε.

ubi aequabilitatem oppositione pronominum *αἳ μέν* — *αἳ δέ*, sicut saepius in stilo epico, effectam esse nemo est quin videat.

Ut summam faciam, cognovimus Vergilium versibus parallelis coniunctis, quod artificium etiam in poesi bucolica Graecorum magis adhibitum est quam in epica, suavitatem generi aptam in eclogis effecisse.

Etiam de hac re illa duo carmina Catulli 62. et 64. perlegi. At concedo hanc symmetriam versuum in epithalamio (62.) non saepius pro rata parte occurrere quam in carmine 64. In hoc enim tales versus parallelos non raros esse iam exspectandum est propterea, quod in eo Catullus saepissime finibus versuum partes orationis dividit.[1]) Qua de causa

[1]) Cf. Norden, l. l. pag. 379. May, l. l. pag. 33 extr. Ibidem, pag. 82, exempla carminis 64, quae huc pertinent, enumerata invenies.

inutile esset exempla proferre. Sed quaedam certe commemorare velim. Hi versus 62, 3sq.:

surgere iam tempus, iam pingues linquere mensas,
iam veniet virgo, iam dicetur hymenaeus,

quamquam duo priora membra inter se artius quam cum sequentibus cohaerent, conferendi sunt cum illis paribus versuum primae classis a Vergilio et Theocrito libenter compositis: haec cum a stilo epico aliena esse cognoverimus, iterum videmus genera bucolicorum et nuptialium carminum quadam ratione sibi propinqua esse. In carmine 64. enim, quod multo longius est, nihil eius generis invenitur. Deinde animadvertendum est de versibus aequatis carminis 64. nullos praebere concinnitatem verbis in isdem pedibus repetitis ac simili sono verborum tantopere auctam, quantopere hi versus:

334: nulla domus tales umquam contexit amores,
nullus amor tali conjunxit foedere amantes,
qualis adest Thetidi, qualis concordia Pelei;

qui versus paralleli praeterea soli tertio versu, cui vis enuntiati primarii est, velut vinculo magis copulati sunt. Hic locus autem, quod non casu factum esse credo, est eius partis carminis Parcarum, quae maxime speciem hymenaei prae se fert. Inde quoque fortasse verisimilius factum est talem symmetriam versuum magis artificium poesis simplicis ac suavis, qualis et poesis nuptialis et bucolica est, quam epicae esse.

Priusquam ad aliam rem transeo, etiam laudare velim eos versus Bucolicorum Vergilii, qui aequo ordine coniuncti universe sibi respondent, quamquam singula verba parum inter se congruunt; hac de causa ii non cum exemplis aliorum operum conferri potuerunt. Hi sunt loci, qui proferendi esse mihi videntur:

1, 57: nec tamen interea raucae tua cura palumbes,
nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.

1, 59: ante leves ergo pascentur in aequore cervi
et freta destituent nudos in litore pisces.

2, 8: nunc etiam pecudes umbras et frigora captant,
nunc virides etiam occultant spineta lacertos,

3, 13: quae tu, perverse Menalca,
et cum vidisti puero donata, dolebas,
et si non aliqua nocuisses, mortuus esses.

5, 86: haec nos „formosum Corydon ardebat Alexim“,
haec eadem docuit „cuium pecus? an Meliboei?“

7, 1: Forte sub arguta consederat ilice Daphnis
compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum.

8, 69: Carmina vel caelo possunt deducere Lunam,
carminibus Circe socios mutavit Ulixi,
frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

§ 4. De symmetria complexionum binorum versuum.

Denique in Bucolicis Vergilii nonnumquam duo membra aequalia, quorum utrumque binos versus complet, coniuncta sunt. Non mirabimur, quod in iis singulae notiones minus sibi respondent quam in membris brevioribus. Ea symmetria his locis eclogarum invenitur:

1, 59: ante leves ergo pascentur in aequore cervi
et freta destituent nudos in litore pisces,
ante pererratis amborum finibus exul
aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim,
quam nostro illius labatur pectore voltus,

ubi symmetria versu 63. augetur, qui enuntiatum, quod logica ratione pro primario est, continet;

10, 64: non illum nostri possunt mutare labores,
nec si frigoribus mediis Hebrumque bibamus
Sithoniasque nives hiemis subeamus aquosae,
nec si, cum moriens alta liber aret in ulmo,
Aethiopum versemus oves sub sidere cancri,

quo loco enuntiatum primarium in uno versu inclusum praecedit;

2, 46: tibi candida Naïs
pallentes violas et summa papavera carpens
narcissum et florem iungit bene olentis anethi,

tum casia atque aliis intexens suavibus herbis
mollia luteola pingit vaccinia caltha.

ubi etiam singuli versus unius membri singulis alterius bene respondent;

5, 36: grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis,
infelix lolium et steriles nascuntur avenae,
pro molli viola, pro purpureo narcisso
carduus et spinis surgit paliurus acutis.

quo loco sane primi et tertii versus universa tantum sententia aequalis est.

Deinde quaesivi, quae exempla huius symmetriae in illis quattuor Georgicorum et Aeneidis libris legerentur. Hos versus inveni:

G. I, 189: si superant fetus, pariter frumenta sequentur
magnaque cum magno veniet tritura calore;
at si luxuria foliorum exuberat umbra,
nequiquam pingues palea teret area culmos.

in quo exemplo symmetriam maxime oppositione effectam esse in promptu est; praeterea enuntiata primaria solum universe sibi respondere animadvertendum est. Deinde hic locus afferri potest:

A. I, 703: quinquaginta intus famulae, quibus ordine longam
cura penum struere et flammis adolere penates;
centum aliae totidemque pares aetate ministri,
qui dapibus mensas onerent et pocula ponant.

ubi ea aequabilitas minus consilio quam casu facta esse mihi videtur, praesertim cum duobus versibus antecedentibus similis sententia enuntietur. Praeter hos duos locos nulla exempla in his libris inveni. Cognoscitur pro numero versuum hanc symmetriam distichorum etiam rarius in libris epicis occurrere quam in Bucolicis.

Operae erit pretium quaerere, num etiam in hac re Theocritus, auctor Bucolicorum, Vergilio exemplo fuerit. In illis decem carminibus bucolicis hi versus eius generis occurrunt:

8, 88: *ὡς μὲν ὁ παῖς ἐχάρη καὶ ἀνάλατο καὶ πλατάγησε*
νικάσας, οὕτως ἐπὶ ματέρα νεβρὸς ἅλοιτο.
ὡς δὲ κατεσμύχθη καὶ ἀνετράπετο φρένα λύπᾳ
ὥτερος, οὕτω καὶ νύμφα δμαθεῖσ' ἀκάχοιτο.

ubi quidem antithesis magnam partem causa concinnitatis est:

1, 71: *τῆνον μὰν θῶες, τῆνον λύκοι ὠρύσαντο,*
τῆνον χὠκ δρυμοῖο λέων ἔκλαυσε θανόντα.
ἄρχετε βουκολικᾶς Μοῖσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.
πολλαί οἱ πὰρ ποσσὶ βόες, πολλοὶ δέ τε ταῦροι,
πολλαὶ δὲ δαμάλαι καὶ πόρτιες ὠδύραντο.

quo loco aequabilitas sententiarum etiam firmior facta est ternis verbis in isdem fere sedibus repetitis et assonantia extremorum verborum versuum 71. et 75., quod Legrand l. l. pag. 398. ostendit; versu intercalari symmetria non dissolvitur, neque in his versibus:

1, 87: *ᾡπόλος ὅκκ' ἐσορῇ τὰς μηκάδας οἷα βατεῦνται,*
τάκεται ὀφθαλμώς, ὅτι οὐ τράγος αὐτὸς ἔγεντο.
ἄρχετε βουκολικᾶς Μοῖσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.
καὶ τὺ δ' ἐπεί κ' ἐσορῇς τὰς παρθένος, οἷα γελᾶντι,
τάκεαι ὀφθαλμώς, ὅτι οὐ μετὰ ταῖσι χορεύεις.

quorum versuum concinnitatem pari longitudine verborum, quae in utroque membro eosdem pedes versuum explent, auctam esse Legrand l. l. pag. 398. admonuit;

7, 45: *ὥς μοι καὶ τέκτων μέγ' ἀπέχθεται, ὅστις ἐρευνῇ*
ἶσον ὄρευς κορυφᾷ τελέσαι δόμον Ὠρομέδοντος,
καὶ Μοισᾶν ὄρνιχες, ὅσοι ποτὶ Χῖον ἀοιδόν
ἀντία κοκκύζοντες ἐτώσια μοχθίζοντι.

ubi sane non tam singula verba quam sententiae universae atque enuntiata relativa congruunt;

7, 111: *εἴης δ' Ἠδωνῶν μὲν ἐν ὤρεσι χείματι μέσσῳ*
Ἕβρον πὰρ ποταμὸν τετραμμένος ἐγγύθεν ἄρκτω,
ἐν δὲ θέρει πυμάτοισι παρ' Αἰθιόπεσσι νομεύοις
πέτρᾳ ὕπο Βλεμύων, ὅθεν οὐκέτι Νεῖλος ὁρατός,

qui versus aequabilitatem etiam maiorem praebent quam illi versus Vergilii, B. 10, 65 sqq., praeter ultima hemistichia utriusque membri, quae parum sibi respondent.

Exempla huius symmetriae quoniam in Bucolicis Theocriti satis frequentia esse cognovimus, talia in ceteris carminibus eiusdem quaerenda sunt. Ex idylliis 2, 14, 15, hi versus soli afferri possunt:

2, 28: *ὡς τοῦτον τὸν κηρὸν ἐγὼ σὺν δαίμονι τάκω,*
ὣς τάκοιθ' ὑπ' ἔρωτος ὁ Μύνδιος αὐτίκα Δέλφις.
χὠς δινεῖθ' ὅδε ῥόμβος ὁ χάλκεος ἐξ Ἀφροδίτας,
ὣς τῆνος δινοῖτο ποθ' ἁμετέραισι θύραισιν.

quam symmetriam a poeta adhibitam esse non ad suavitatem efficiendam, ut in Bucolicis, sed ad stilum sollemnem et quasi vinctum carminum magicorum exprimendum arbitror. Deinde in idyllio 18. hi versus inveniuntur:

43: *πρᾶταί τοι στέφανον λωτῶ χαμαὶ αὐξομένοιο*
πλέξασαι σκιερὰν καταθήσομεν ἐς πλατάνιστον.
πρᾶται δ' ἀργυρέας ἐξ ὄλπιδος ὑγρὸν ἄλειφαρ
λαζύμεναι σταξεῦμες ὑπὸ σκιερὰν πλατάνιστον,

quo loco concinnitas imprimis collocatione aequali verborum: *πρᾶται, πλατάνιστον, πλέξασαι — λαζύμεναι* confirmatur; hic iterum videmus artificium, quod in poesi bucolica libenter adhibitum est, etiam in epithalamio occurrere. Deinde in encomiis, id. 16. et 17., talis symmetria binorum versuum raro observatur; nam praeter exempla, quorum aequabilitas minor est quam ut enumerare velim, velut: 16, 34 sqq., 16, 76 sqq., 17, 98 sqq., tantum hi versus proferendi sunt:

17, 1: *Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα καὶ ἐς Δία λήγετε Μοῖσαι,*
ἀθανάτων τὸν ἄριστον ἐπὴν κλείωμεν ἀοιδαῖς.
ἀνδρῶν δ' αὖ Πτολεμαῖος ἐνὶ πρώτοισι λεγέσθω
καὶ πύματος καὶ μέσσος· ὃ γὰρ προφερέστατος ἀνδρῶν.

qui prooemii talibus artificiis abundantis sunt[1]); praeterea animadvertendum est ne in his quidem singulas notiones ratione grammatica tam accurate sibi respondere quam in exemplis Bucolicorum supra laudatis. Tum in epicis carminibus, id. 13, 22, 24, talia non leguntur; nam in id. 13,

[1]) Conferas velim versus 5 sq. ∼ 7 sq. et 9 sq. ∼ 11 sq., in quibus vero nihil nisi sententiae universae sibi respondent, qua de causa eos non supra exscripsi.

vv. 1—4 exigua tantum verba sibi respondent; deinde in id. 24, vv. 60—63, symmetria eo tollitur, quod versus 61. et 63. non aequalitatem sensus praebent; denique in id. 24, vv. 105—110, quamquam universa sententia bini versus binis aliis respondent, tamen singulae notiones inter se parum congruunt. Ex his rebus cognosci existimo apud Theocritum hanc concinnitatem distichorum plerumque in Bucolicis inveniri, neque vero in aliis carminibus, nisi causae peculiares exstant; etiam in hac re genus dicendi, quo Vergilius in eclogis usus est, cum stilo Bucolicorum Theocriti consentit.

Iam transeo ad illa carmina Graeca inferiorum temporum, quae alibi quoque comparavi. In idylliis 20. et 27. et in epitaphio Bionis quidem ea symmetria non adhibita est. Contra ex illis tribus carminibus epicis iam supra collatis hoc exemplum afferri debet, quod in carmine *Εὐρώπη* legitur:

79: *κρύψε θεὸν καὶ τρέψε δέμας καὶ γείνετο ταῦρος,*
οὐχ οἷος σταθμοῖς ἐνιφέρβεται, οὐδὲ μὲν οἷος
ὦλκα διατμήγει σύρων εὐκαμπὲς ἄροτρον,
οὐδ' οἷος ποίμνῃς ἐπιβόσκεται, οὐδὲ μὲν οἷος
ὅστις ὑποδμηθεὶς ἐρύει πολύφορτον ἀπήνην,

ubi praeter priora hemistichia alterius et quarti versus (81. et 83.) omnia summa aequalitate sunt; mihi verisimile videtur hoc loco, quo varia genera taurorum enumerantur, Moschum poetam eo artificio poetis bucolicis adamato usum esse, ut quasi sermonem rei aptaret.[1]) Quod si verum est, his versibus etiam certius fit, quamqum in epyllio exstant, hanc symmetriam imprimis bucolicorum carminum propriam esse.

Sed ut hanc quaestionem absolvam, a me demonstratum esse spero hanc symmetriam grammaticam membrorum, quae coniuncta unum vel duo, interdum quoque quattuor, versus tenent, cum ea magis *τὸ ἡδύ* efficeretur, ut a Theocrito eiusque imitatoribus, ita a Vergilio in carminibus bucolicis

[1]) Etiam repetitione vocabulorum in initio versus et post dactylum quartum positorum, quae in hoc carmine praeterea bis tantum (vv. 25, 141) occurrit, ostenditur hunc locum propius ad genus bucolicum accedere; cf. Gebauer, l. l. pag. 35 sqq.

appetitam esse, cum in poesi grandiore stilo scripta multo rarius inveniretur. — Hic breviter commemorare velim illas Diras Valerii Catonis, cui carmini multa cum genere bucolico communia sunt, etiam stilo arte cum eo cohaerere; in eo poemate enim pro rata parte saepissime symmetria talium membrorum invenitur; cf. versus (Ribbeck): 22, 65, 89, 90; 4, 12, 13, 18, 98, 99; 4sq., 12sq., 16sq., 18sq., 37sq., 48sq., 98sq. — At fortasse admonuerit quispiam haec genera symmetriae a nobis tractata saepe apud Ovidium inveniri atque inde concludendum esse dixerit talia imprimis carminum genere dicendi rhetorico conscriptorum propria esse. Huic respondendum est sane congruentiam aequalitatemque membrorum eodem ordine coniunctorum, ut ubique in sermone antiquo simplici ab arte exculta alieno observatur, ita a rhetoribus inde a Gorgia libenter ad stilum poliendum adhibitam esse. Itaque etsi nonnumquam difficile sit diiudicare, ex utro fonte id studium concinnitatis fluxerit, de poesi bucolica non dubium esse mihi videtur, quin frequentia talium membrorum ad artificia, quibus etiam homines illiterati usi sunt, referenda sit. Ovidius etsi eo cum poetis bucolicis consentit, quod item magis stilum venustum ac ludibundum quam sublimem appetivit, idem artem rhetorum secutus symmetriam membrorum ad graves antitheses variasque argutias sermonis, quas ei in deliciis fuisse constat, enuntiandas adhibuit; etiam ex versibus Metamorphoseon, quos Norden, l. l. pag. 375, laudat, cognosci posse puto eum imprimis sermonis faceti et versuti studiosum fuisse, quod de poetis bucolicis dici non potest.

Caput II.

De variis generibus repetitionum.

Praeter hanc symmetriam membrorum, quam in Bucolicis magis quam in aliis carminibus Vergilium usurpavisse adhuc demonstravi, etiam aliis rebus sermonem Bucolicorum a sermone graviore in ceteris operibus adhibito differre existi-

mandum est. Inter eas imprimis figuris ex repetitione verborum petitis Vergilius, cum in his eclogis animum molliorem exprimeret atque operam daret, ut suaves modulos carminum cantatorum imitaretur, usus est. Repetitiones studiosius a Vergilio in Bucolicis quam alibi adhibitas esse iam admonuit M. Jasinski, De re metrica in Vergilianis Bucolicis. Thesis Paris. Duaci 1903.[1]) Sed mihi proposui imprimis variis figuris repetitionum distinguendis operam dare. Primum anaphoram quidem, illud genus repetitionis maxime usitatum, quod constat compluribus membris coniunctis ab eodem verbo initium capientibus, paeterire liceat. Nam hac figura Vergilium in Bucolicis pro rata parte saepius quam in libris epicis usum esse facile sentiet, quisquis ea carmina leget[2]); itaque ne longius in re manifesta morer, enumeratione singulorum locorum eclogarum et aliorum poematum, quibus anaphora invenitur, supersedebo, praesertim cum exempla facillime agnoscantur. — At alia genera repetitionum hic tractare malo, quae, cum rarius occurrant, nimis negleguntur atque saepe inter se confunduntur; nam eo, quod viri docti plerumque quaerebant, quibus locis versuum verba repetita legerentur, (id quod etiamsi non neglegendum est, tamen non maximi momenti est) et parum animadvertebant, quae ratio inter ea intercederet[3]), factum est, ut repetitiones, quae variorum generum sunt, in unum locum conferrentur et, quae eiusdem generis, secernerentur.

§ 1. De specie quadam conduplicationis.

Primum dignam, quae animadvertatur, duco figuram quandam, qua quoddam verbum, quod plerumque in initio

[1]) Cf. pagg. 44, 48, 51, 61.

[2]) Temere dicere May, l. l. pag. 59., anaphoram rhetoricam figuram esse ac maxime ad grande et magnificum genus dicendi quadrare mihi videtur; hoc enim de omni usu anaphorae valere nego, quoniam ubique hanc iamdudum ante artem oratoriam excultam a populo libenter adhibitam videmus.

[3]) Cf. exempli gratia locos, quos congesserunt: H. Fritzsche in libello: Zu Theokrit und Vergil. Leipzig 1860. Jasinski, l. l. pag. 46 sqq. R. Helm, Festschrift Johannes Vahlen, 1900, pagg. 359 sqq.

positum est, in media sententia repetitur; quae repetitio ab anaphora eo differt, quod nullae notiones aequales, sed partes eiusdem sententiae voces repetitas sequuntur, ut sensu salvo verbi iteratio demi possit. Apparet eam figuram maioris momenti esse anaphora, cum haec imprimis ad coniungenda membra pertineat, illa solum, ut aliquid certum efficeretur, adhibita sit.

Iam affero exempla huius generis dicendi, quae in Bucolicis Vergilii observantur:

1, 74: ite meae felix quondam pecus, ite capellae.
7, 44: ite domum pasti, si quis pudor, ite iuvenci.
10, 77: ite domum saturae, venit Hesperus, ite capellae.
8, 69 etc.: ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
8, 61: desine Maenalios, iam desine tibia versus.
8, 109: parcite, ab urbe venit, iam parcite carmina Daphnis.[1])
5, 81: quae tibi, quae tali reddam pro carmine dona?
4, 11: Teque adeo decus hoc aevi, te consule inibit,
6, 9: non iniussa cano: si quis tamen haec quoque, si quis captus amore leget, . . .
6, 55: claudite, Nymphae,
Dictaeae Nymphae, nemorum iam claudite saltus.
9, 60: hic, ubi densas
agricolae stringunt frondes, hic Moeri canamus.

His similis est repetitio in versibus ecl. 4, 58 sq:

Pan etiam, Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.

Huc vero non trahendam esse censeo repetitionem verborum „talis amor“ in B. 8, 85/89, quae ibi iterata sunt, quia periodus nimis longa est. Cognovimus igitur hoc genus conduplicationis in Bucolicis Vergilii non rarum esse. Cuius rei causa inde repetenda esse videtur, quod ea repetitione suavi quasi mollitudo modulatioque carminum cantatorum auribus

[1]) Hanc collocationem verborum codice Palatino aliisque traditam equidem praefero; si quis autem cum nonnullis editoribus sic: „carmina parcite“ legere malit, ei hic versus in exemplis primo loco laudatis numerandus est.

atque animis legentium effingitur. Imprimis animadvertendum est in tot exemplis verbum in principio versus positum post caesuram vel bucolicam vel semiquinariam [1]) repetitum esse, quae collocatio insignior ad cantum exprimendum imprimis idonea esse mihi videtur. Quod maxime ex eo cognoscitur, quod in numero eorum versuum plerique versus intercalares, qui in toto opere exstant, inveniuntur: his enim praecipue Vergilius, sicut Graeci poetae bucolici, musicam effingere studuit. [2]) Ceterum quam arte hoc artificium cum genere bucolico cohaereat, inde patet, quod praeter hos intercalares plerique occurrunt aut in versibus a pastoribus recitatis: cf. 1,74; 7,44; 5,81; 9,60sq., aut iis locis, quibus ipse poeta se pastorem esse fingit: cf. 10,77; 6,9; 4,58. Inter omnia haec exempla minimi momenti sunt hi loci: 5,81, ubi unum tantum vocabulum inter verba repetita positum est, 4,11, ubi hoc „te" gravius effertur, 9,60sq., ubi vocula propter longius enuntiatum relativum repetita esse videtur.

Sed ut demonstretur hoc genus repetitionis in iis, quae praecipue poesis bucolicae propria sunt, numerandum esse, Vergilii reliqua carmina conferam. Exscribo hic ea exempla, quae in illis quattuor libris antea quoque ad comparationem adhibitis: G. I. IV., A. I. XII. reperiuntur:

G. IV, 315: Quis deus hanc, Musae, quis nobis extudit artem?
G. IV, 465: te, dulcis coniunx, te solo in litore secum
te veniente die, te decedente canebat.
G. IV, 525: Eurydicen vox ipsa et frigida lingua
a! miseram Eurydicen anima fugiente vocabat,
Eurydicen toto referebant flumine ripae.

---

[1]) In vv. 8, 61 et 8, 109 vocula „iam" ante verbum repetitum posita minoris momenti est, quandoquidem cum verbo artissime coniuncta est.

[2]) De hac re Wilamowitz, l. l. 148, ad versus Theocriti intercalares spectans, ita disseruit: „Die Aufforderung an die Musen tritt als Schaltvers an jeder Stelle ein, wo eine Pause gemacht werden soll: wir werden uns bei den Rinderhirten selbst nicht sowohl einen gesungenen Refrain an diesen Stellen denken, als ein paar Töne auf der Syrinx geblasen . . . Aber der epische Dichter hatte sie für die Nachbildung nicht zur Verfügung: zu ihrem Ersatze nimmt er einen Vers, der richtig rezitiert, wirklich diese musikalische Wirkung tut."

G. IV, 494: illa „quis et me“ inquit, „miseram et te perdidit,
quis tantus furor? [Orpheu,

A. I, 198: o socii (neque enim ignari sumus ante malorum)
o passi graviora, dabit deus his quoque finem.

A. XII, 95: vociferans: „nunc, o numquam frustrata vocatus
hasta meos, nunc tempus adest.

A. XII, 948: Pallas te hoc volnere Pallas
immolat et poenam scelerato ex sanguine sumit.

G. IV, 358: duc, age, duc ad nos.

G. IV, 447: scis, Proteu, scis ipse.

A. XII, 72: ne, quaeso, ne me lacrimis neve omine tanto
prosequere in duri certamina Martis euntem.

A. XII, 179: iam melior iam diva, precor,

A. XII, 259: „hoc erat, hoc, votis“ inquit, „quod saepe petivi.

Iam apparet hanc conduplicationem in libris epicis pro numero versuum multo rariorem esse quam in Bucolicis. Sed etiam magna pars horum exemplorum, si cum exemplis eclogarum conferas, parum huc pertinet. Nam primum in his exemplis: G. IV, 494sq., A. I, 198sq., A. XII, 95sq., A. XII, 948 eam figuram, quia sententiae summo affectu doloris vel superbiae dictae sunt, non quia poeta, ut in bucolicis, suavitatem cantus assequi voluit, adhibitam esse facile intelligitur. Deinde si hos versus: G. IV, 358, G. IV. 447, A. XII, 72, A. XII, 179, A. XII, 259 diligentius respiciemus, cognoscemus eos potius praebere exempla geminationis singulis tantum verbis interpositis paulum mutatae, quae figura ad verbum quoddam gravius efferendum pertinet, non ad rhythmum suaviorem faciendum; itaque hi quoque loci ab illis exemplis Bucolicorum distinguendi sunt. Tum in versibus G. IV, 525sq. repetitione nominis „Eurydicen“ clamorem perpetuum Orphei atque vocem repercussam poeta expressit. Contra non dubito hos versus G. IV, 315 et G. IV, 465 cum illis locis eclogarum conferre; nam cum verba in initio versus posita post caesuram repetita invenimus tum ea figura sententiis aptissima est, quoniam poeta in priore exemplo Musas invocat, ut sibi canenti faveant, in altero,

in quo haec repetitio anaphora versus sequentis etiam augetur, Orphea uxorem amissam cantu celebrantem inducit. His duobus igitur locis confirmatur, quod supra statui, talem repetitionem ad modos carminum effingendos optime pertinere. Animadvertendum esse puto non pauca exempla atque ea notabilissima inveniri in ea parte libri IV. Georgicorum (315 — 558), quam ab aliis horum librorum epici generis differre supra diximus. — Item referenda sunt ad carmina exprimenda duo insignissima exempla, quae in epyllio Catulli inveniuntur, cf.:

24: vos ego saepe meo, vos carmine compellabo.

326: sed vos, quae fata sequuntur,
currite ducentes subtegmina, currite fusi.

qui versus deinde saepius intercalaris legitur. Iam apertum est in versu 24. figuram inveniri propterea, quod poeta ad se ipsum canentem spectat; versus intercalares autem sic compositos Catullus, ipse quoque Theocritum secutus, ad cantum Parcarum auribus magis effingendum adhibuit; qua de re recte judicavit G. Lafaye, Catulle et ses modèles, Paris 1894, pag. 169: „Chaque strophe . . . . se termine par un refrain; ce vers . . . . produit l'impression d'un accompagnement musical, dont le rythme, d'une monotonie étudiée, suit les mouvements de leurs doigts infatigables.“ Videmus igitur hanc conduplicationem, nisi in verbis gravioris affectus plenis adhibita est aut verius variata forma geminationis habenda est, aptam esse ad modulos carminum exprimendos atque propterea a Vergilio praecipue in genere bucolico usurpatam esse.

Itaque quaerimus, num id quoque artificium e Graecis idylliis bucolicis sumpserit. Hac in quaestione iustum est repetitiones et articulorum et particularum negativarum, quae vocabula in lingua Graeca saepe, imprimis in asseverationibus, sic iterata esse notum est, praetermittere. Haec exempla in Bucolicis Theocriti occurrunt:

1, 64 etc.: *Ἄρχετε βουκολικᾶς Μοῖσαι φίλαι, ἄρχετ᾽ ἀοιδᾶς.*
1, 94 etc.: *Ἄρχετε βουκολικᾶς Μοῖσαι, πάλιν ἄρχετ᾽ ἀοιδᾶς.*
1, 127 etc.: *Λήγετε βουκολικᾶς Μοῖσαι, ἴτε λήγετ᾽ ἀοιδᾶς.*

1, 66: *πῆ ποκ' ἄρ' ἦσθ', ὅκα Δάφνις ἐτάκετο, πῆ ποκα Νύμφαι;*
1, 15: *οὐ θέμις, ὦ ποιμήν, τὸ μεσαμβρινὸν, οὐ θέμις ἄμμιν συρίσδεν.*
1, 12: *λῇς ποτὶ τᾶν Νυμφᾶν, λῇς αἰπόλε τῇδε καθίξας, . . . συρίσδεν;*
11, 60: *νῦν μάν, ὦ κόριον, νῦν αὐτό γα νεῖν μεμαθεῦμαι.*[1])
3, 24: *ὤμοι ἐγών, τί πάθω, τί ὁ δύσσοος; οὐχ ὑπακούεις.*
5, 61: *ἀλλὰ τίς ἄμμε, τίς κρινεῖ;*

De hoc usu Theocriti quae Legrand, l. l. pag. 376, dixit, hic afferenda sunt: „Une bonne part de ces répétitions, en particulier celles des impératifs, visent à produire une impression de cadence plutôt qu'un effet pathétique; néanmoins très peu tombent à faux: citons, dans l'idylle I, *λῇς* répété au vers 12, *οὐ θέμις* répété au vers 15, *ἄρχετε, λήγετε* répétés aux refrains sans qu'il y ait matière à insister, au point de vue dramatique, sur les mots qui se trouvent ainsi soulignés; aux vers 61—62 de l'idylle V la répétition iniustifiée de *τίς*." Miror autem virum doctum hoc genus repetitionis non expressis verbis ab anaphoris distinxisse. Sed aspiciamus exempla supra exscripta. Plurima afferri potuerunt ex idyllio 1, in quo Theocritus maxime sonum modulatum appetivisse videtur: summi momenti id est, quod in eo versus intercalares, quamquam varias formas usurpavit, omnes illa repetitione exornavit. Certo non casu factum est, ut plerumque, sicut in exemplis Bucolicorum Vergilii, verba iterata in initio versus et post caesuram collocata sint, qua concinnitate magis cantus memoriam evocari puto. In his exemplis id. 3, 24 et 5, 60 sq., quamquam singula tantum vocabula inter verba repetita posita sunt, animadvertendum est haec verba repetita caesura vel fine versus seiungi, qua re figura insignior fit.[2])

[1]) Quamquam finis versus vitiis non vacat, tamen haec repetitio certa est.

[2]) Aliam figuram in Bucolicis Vergilii non adhibitam hi versus Theocriti praebent, in quibus verbum non in medio sed in fine membri repetitum est: id. 1, 144 sq., 7, 118 sq., deinde in id. 12, 1 sq., 24, 35 sq., 24, 73 sq.

Sed videamus, num Theocritus in iis carminibus, quae non bucolici generis sunt, hoc artificio usus sit. Repperi in tot poematibus hos tantum versus:

2, 118: ἦνθον γάρ κεν ἐγώ, ναὶ τὸν γλυκὺν ἦνθον Ἔρωτα,

24, 40: ἔστι τί μοι κατὰ δῶμα νεώτερον, ἔστι φίλ' ἀνδρῶν.

De his exemplis prius, si diligentius spectamus, cum illis bucolicis non comparandum est, cum repetitio nata sit ex asseveratione. Commemorare velim etiam versum intercalarem idyllii 2: ἶυγξ ἕλκε τυ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα. sine ea figura esse, cum Vergilius, qui hoc poema inter Bucolica imitatus est, illo modo verbum finitum iteraverit.

Quod ad opera imitatorum attinet, quae antea in comparationem traxi, poeta epitaphii Bionis, sicut poetae Romani Theocritum secutus, versus intercalares sic conformavit:

ἄρχετε Σικελικαὶ τῶ πένθεος ἄρχετε Μοῖσαι.

Deinde in carmine 27. hic versus legitur:

39: πατρὶ δὲ γηραλέῳ τίνα μάν, τίνα μῦθον ἐνέψω;

Laudare velim hunc quoque versum ex epigrammatibus bucolicis (Wilamowitz, p. 84) 6, 3:

οἴχεται ἁ χίμαρος, τὸ καλὸν τέκος, οἴχετ' ἐς Ἅιδαν,

ubi item verba iterata in initio versus et post incisionem bucolicam posita sunt. Contra in carminibus epicis, quae inscribuntur: Ἡρακλῆς, Εὐρώπη, Μεγάρα, exempla eius repetitionis desunt.

Sed ut summam faciam, cognovimus ex carminibus collatis hanc speciem conduplicationis a Theocrito imprimis in idyllio 1. et interdum in aliis bucolicis ad cantum exprimendum adhibitam esse, cum in carminibus ceteris fere numquam ea uteretur; eadem deinde ab inferioribus poetis bucolicis accepta est; tum Vergilius, ut in aliis rebus Theocriti vestigia pressit, hoc artificium saepe in eclogis adhibuit, raro in ceteris libris. Ex iis, quae exposui, sequi spero, ut haec repetitio, cum ea canticorum suavitas effingeretur, primo praecipue poesis bucolicae propria fuerit neque ab initio in artificiis stili rhetorici numeranda sit; postea poetas Romanos inferiorum temporum quidem eam

figuram saepe usurpavisse, ut sermonem artificiosiorem et magis commotum redderent, Vollmero[1]) concedo. Ab hac repetitione, quam adhuc tractavi, altera distinguenda est, quae epanalepsis nuncupatur.

§ 2. De epanalepsi.

Poetae Graeci et Latini non raro verbum gravius elatum, plerumque nomen, post membrum absolutum in initio versus sequentis vel tertii attributo vel appositione vel enuntiato relativo amplificatum repetunt. Hanc epanalepsim, cum de ea viri docti: Forbiger ad B. 6, 20, Gebauer, l. l. pagg. 49, 50 adn. 1, Meineke in editione Callimachi, pag. 254, Leo in editione Culicis pag. 72 sq., Norden, l. l. pagg. 179 sq. verba fecerint atque magnum numerum exemplorum protulerint, breviter absolvam; Norden iure statuit Vergilium eam figuram stilo amoeno Bucolicorum aptiorem existimavisse quam gravitati epicae Aeneidis; admonendum autem mihi est eam in Georgicis quoque satis raro inveniri. Hic exscribam exempla, quae in eclogis leguntur:

6, 20: addit se sociam timidisque supervenit Aegle,
Aegle, Naiadum pulcherrima, iamque videnti . . .
9, 27: Vare tuum nomen, superet modo Mantua nobis,
Mantua vae miserae nimium vicina Cremonae,
cantantes sublime ferent ad sidera cycni.
9, 47: ecce Dionaei processit Caesaris astrum,
astrum, quo segetes gauderent frugibus et quo
duceret apricis in collibus uva colorem.
10, 72: vos haec facietis maxima Gallo,
Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas,
quantum vere novo viridis se subicit alnus.

Deinde hic locus:

6, 55: claudite Nymphae,
Dictaeae Nymphae, nemorum iam claudite saltus,

illis exemplis propterea non admodum par est, quod demum post repetitionem sententia absolvitur. Hos autem versus: 7, 2 sq. et 8, 55 sq., quos viri docti in hoc numero habuerunt,

[1]) P. Papinii Statii Silvarum Libri. Leipzig 1898, p. 348.

paulo infra tractabo. Qui illa exempla eius figurae leget, cum Nordeno consentiet Vergilium ea imprimis usum esse, ut versibus aliquid ingenii venusti Graecorum daret. — Itaque in illis quattuor libris Georgicorum et Aeneidis idem artificium pro rata parte aliquanto rarius occurrit: inveni hos locos: G. I, 245 sq., G. IV, 297 sq., ubi adjectivum „quattuor“ pro nomine repetitum est, A. I, 108 sq., A. XII, 89 sqq., A. XII, 673 sqq„ A. XII, 896 sqq. — In carminibus Theocriti hoc artificium suavi stilo aptissimum compluries adhibitum est: cf. id. 1, 29 sq. et 7, 57 sqq., deinde id. 13, 43 sqq., ubi item res venustissima significatur; conferendi quoque sunt hi loci: id. 15, 103 sq., ubi vero verbum repetitum *Ὧραι* in medio versu positum est, et id. 18, 50 sqq., in quibus versibus autem nomina repetita et attributis amplificata: *Λατώ, Κύπρις, Ζεύς* neque in initio versus neque post membra absoluta posita sunt. Cognoscitur hoc genus repetitionis saepius in carminibus, quae imprimis figurae amoenae decent, adhibitum esse quam in poesi graviore: at non iudicandum est id imprimis generis bucolici proprium esse.

Adiungendus mihi est hic locus:

7, 2 sq.: compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum,
Thyrsis oves, Corydon distentas lacte capellas;

in his versibus non eandem speciem epanalepsis deprehendimus, sed figuram, quam Quintilianum (Instit. or. IX, 35) secuti *ἐπάνοδον* vel regressionem dicimus. Qua repetitione nominum, cum sermoni hominum simplicium aptior esset quam usus pronominum „hic-ille“, summa *ἀφέλεια* effecta est. Huius figurae in illis quattuor libris Vergilii nullum exemplum inveni; at non omnino in libris epicis deest: cf. A. II, 434 sqq., A. V, 294 sqq., A. X, 697 sqq., A. XI, 690 sqq. Sed hoc interest, quod in hoc versu: B. 7, 3 nihil novi enuntiatur, nisi quod vocabulum „greges“ accuratius significatur studio quodam rerum minutarum soli poesi bucolicae apto, et in exemplis Aeneidis hac figura enuntiatur, quales homines modo commemorati sint, aut res gestae porro narrantur. — Figurae epanodi similis est ea repetitio, quae in B. 4, 55 sqq. legitur:

non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus
nec Linus, huic mater quamvis atque huic pater adsit,
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.

ubi in extremo versu suavi quadam simplicitate, ut supra commemoravi, ea, quae antea dicta sunt, nulla re nova nisi nominibus addita repetita sunt.[1])

§ 3. De altera specie epanalepsis.

Tum altera forma epanalepsis, quae, quamquam cum illa epanalepsi et cum epanodo cohaeret, ab iis secernenda est, in eo cernitur, quod membrum unum orationis vel etiam verbum unum post membrum absolutum ea ratione repetitur, ut cum eo alterum novum membrum, quod non raro repetito oppositum est, coniungatur.[2]) Hoc genus repetitionis, quod in eclogis Vergilii satis saepe occurrere videbimus, a viris doctis adhuc nimis neglectum est.[3]) Ex exemplis iam cognoscetur ea figura suavitatem et simplicitatem sermonis effici. Hi loci eclogarum eam repetitionem praebent:

8, 55: certent et cycnis ululae, sit Tityrus Orpheus,
Orpheus in silvis, inter delphinas Arion.

quod exemplum propius ad epanalepsim supra tractatam accedit, quia verbo repetito aliquid adicitur; plerumque autem, quod nemo mirabitur, membrum repetitum est quasi compendium verborum antecedentium:

5, 50: nos tamen haec quocumque modo tibi nostra vicissim
dicemus Daphnimque tuum tollemus ad astra;
Daphnin ad astra feremus: amavit nos quoque Daphnis.[4])

---

[1]) Huic loco similes sunt versus G. II, 227—229.

[2]) Verba repetita, sicut in epanalepsi supra tractata, plerumque in initio versus posita sunt, cum maiorem vim ea collocatione accipiant.

[3]) Quantum video, solus Gebauer l. l. pag. 51, hos locos: Theocriti id. 9, 1 sq. et Vergilii B. 5, 51 sq. ob repetitionem contulit; sed propterea solum contulit, quod in utroque non singula verba, sed membra repetita sunt.

[4]) Eo, quod pro verbo „tollemus" in membro iterato hoc „feremus" positum est, res ipsa non immutatur; item aliis locis, qui infra sequuntur, variatio singulorum verborum adhibita est.

8, 77: necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores:
necte, Amarylli, modo et „Veneris“ dic „vincula necto.“

quae duo exempla eo notabilia sunt, quod hac repetitione factum est, ut suavissime verbum in initio versus positum idem versum clauderet;

2, 37: fistula, Damoetas dono mihi quam dedit olim
et dixit moriens: „te nunc habet ista secundum.“
dixit Damoetas, invidit stultus Amyntas.

1, 27: Libertas, quae sera tamen respexit inertem,
candidior postquam tondenti barba cadebat,
respexit tamen et longo post tempore venit,
postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.

cui loco maior simplicitas etiam propterea est, quod duo enuntiata eadem coniunctione „postquam“ inchoata, quibus vero tempus diversum est, ad sententiam primariam adnexa sunt, id quod a stilo artificiosiore abhorret:

6, 25: carmina, quae vultis, cognoscite; carmina vobis'
huic aliud mercedis erit.

Hi versus

8, 47: saevus Amor docuit natorum sanguine matrem
commaculare manus; crudelis tu quoque mater.
crudelis mater magis an puer improbus ille?

aliquid simile praebent, nisi quod verba non simplici ratione repetuntur, sed in enuntiato interrogativo iterum ponuntur. Addere velim duos locos, quibus, id quod huic generi epanalepsis proximum est, complura verba ita repetita sunt, ut enuntiatum secundarium sententiae sequentis fierent:

7, 63: Phyllis amat corylos: illas dum Phyllis amabit,
nec myrtus vincet corylos nec laurea Phoebi.

9, 63: aut si nox pluviam ne colligat ante, veremur,
cantantes licet usque (minus via laedit) eamus;
cantantes ut eamus, ego hoc te fasce levabo.

Si perlustrabimus exempla huius generis epanalepsis, cognoscemus eam maxime ad suavitatem ac simplicitatem

sermonis efficiendam pertinere. Primum enim ipsis verbis iteratis, cum in sermone graviore variatio verborum adhibita esset, tenuitas stili aucta est; deinde hac figura saepe factum est, ut membra aequalia singula hemistichia concinnitate quadam, quam stilo bucolico aptissimam esse in capite I. cognovimus, occuparent; tum *ἀφέλεια* quaedam propterea effecta est, quod ita saepe duo membra paratactica tam arte connexa sunt quam usu enuntiati secundarii.

Sed iam nobis quaerendum est, quotiens haec repetitio observetur in illis quattuor libris epicis Vergilii, quos antea comparavi; inveni haec exempla:[1])

G. I, 10: et vos, agrestum praesentia numina, F a u n i,
ferte simul F a u n i que pedem Dryadesque puellae
A. XII, 856: sagitta,
armatam saevi P a r t h u s quam felle veneni,
P a r t h u s sive Cydon, telum immedicabile torsit,
A. XII, 546: hic tibi mortis erant metae: d o m u s a l t a s u b I d a,
L y r n e s i d o m u s a l t a, solo Laurente sepulchrum.

De his exemplis primum et alterum cum illis Bucolicorum, ut arbitror, conferre vere non licet, cum in iis verba sententia nondum finita repetita sint, qua re illius figurae simplicitas et suavitas, ut equidem sentio, tollitur. Solum in A. XII, 546 sq. eadem species epanalepsis observatur, quae vero imprimis ad affectum maeroris his antithetis exprimendum adhibita est, ut supra dixi.

Id quod ex carminibus Vergilii cognovimus hanc repetitionem multo aptiorem esse simplici ac suavi stilo Bucolicorum quam gravitati epicorum librorum, confirmatur usu Theocriti. Nam cum in idylliis eius, quae non bucolici generis sunt, vix unum exemplum legatur,[2]) in Bucolicis haec occurrunt:

1, 95: *ἦνθέ γε μὰν ἁδεῖα καὶ ἁ Κύπρις γελάοισα,*
λάθρη μὲν γελάοισα, βαρὺν δ' ἀνὰ θυμὸν ἔχοισα.

[1]) Similis quaedam figura invenitur in G. IV, 101 sq.

[2]) Hi versus cum illis exemplis certe conferri possunt: id. 24, 35:
ἄνσταθ' Ἀμφιτρύων· ἐμὲ γὰρ δέος ἴσχει ὀκνηρόν·
ἄνστα, μηδὲ πόδεσσι τεοῖς ὑπὸ σάνδαλα θείης.

11, 19: *Ὦ λευκὰ Γαλάτεια, τί τὸν φιλέοντ' ἀποβάλλῃ,*
λευκοτέρα πακτᾶς ποτιδεῖν, ἁπαλωτέρα ἀρνός,

qui loci, quod singula tantum verba repetuntur, quibus aliquid additur, cum illo loco: B. 8, 55 sq. maxime conferendi sunt; cum ceteris hic magis concinit:

9, 1: *Βουκολιάζεο Δάφνι· τὺ δ' ᾠδᾶς ἄρχεο πρᾶτος,*
ᾠδᾶς ἄρχεο πρᾶτος, ἐφεψάσθω δὲ Μενάλκας.

Deinde in iis carminibus imitatorum Theocriti, quae antea comparabam, hoc genus repetitionis non animadverti; sed duo exempla afferri possunt ex illo carmine Moschi, quod inscribitur *Ἔρως δραπέτης;* cf.:

4: *μισθόν τοι τὸ φίλαμα τὸ Κύπριδος, ἢν δ' ἀγάγῃ νιν,*
οὐ γυμνὸν τὸ φίλαμα, τὺ δ' ὦ ξένε καὶ πλέον ἕξεις.

18: *τόξον ἔχει μάλα βαιόν, ὑπὲρ τόξω δὲ βέλεμνον,*
τυτθὸν μὲν τὸ βέλεμνον, ἐς αἰθέρα δ' ἄχρι φορεῖται.

In his versibus Moschus, sicut Theocritus in id. 1, 95 sq., *τὸ ἀφελές* maxime propterea mihi videtur appetivisse, quod verbis repetitis sententia corrigitur vel accuratius determinatur: talia enim propria sunt sermonis hominum, qui simplices sunt aut videri volunt. Hac re nos ad fontem huius epanalepsis adduci opinor, quae a stilo artificiosiore aliena esse mihi videtur. Iam antea verisimile nobis factum est poetas bucolicos ea, quibus illam suavitatem et simplicitatem carminibus pepererunt, magnam partem debuisse poesi populi, ad cuius amoenitatem illa epithalamia quoque antiquorum temporum referenda sunt. Primum locus, quo talis correctio adhibita est, invenitur in illo fragmento epithalamii Sapphus, quod summae simplicitatis ac suavitatis est (Bergk. III, 93):

οἷον τὸ γλυκύμαλον ἐρεύθεται ἄκρῳ ἐπ' ὔσδῳ,
ἄκρον ἐπ' ἀκροτάτῳ, λελάθοντο δὲ μαλοδρόπηες,
οὐ μὰν ἐκλελάθοντ', ἀλλ' οὐκ ἐδύναντ' ἐπικέσθαι,

in quo exemplo quidem sententia non solum corrigitur, sed omnino negatur. Figuram, quam in tantulis reliquiis carminum huius poetriae semel tantum observari non mirum est, bene convenire cum suavitate horum carminum nupti-

alium inde colligi potest, quod in illo hymenaeo Catulli (c. 62) compluries occurrit:[1])

8: sic certe est: viden ut perniciter exiluere?
non temere exiluere, canent quod visere par est.
12: adspicite, innuptae secum ut meditata requirunt.
non frustra meditantur, habent memorabile quod sit,

quibus locis, sicut in illis tribus exemplis Theocriti et Moschi, sententia novis verbis melius determinata repetita est, ut ei alterum membrum antithesi adnecteretur. Afferendus est hic quoque locus eiusdem carminis, quo verbum simili modo repetitum, sane non eodem ordine, coniunctum est cum membro novo et opposito; certe cogitari potest in versibus Graecis, qui exemplum Catulli erant, parataxim fuisse:

36: at libet innuptis ficto te carpere questu:
quid tum, si carpunt, tacita quem mente requirunt?

Denique praeterire nolim locum huius epithalamii, quo verbum in initio versus iteratum est, ut ei alterum adiungeretur:

60: non aequum est pugnare, pater cui tradidit ipse,
ipse pater cum matre, quibus parere necesse est,

qui versus, quia praepositio „cum“ idem fere valet atque particula copulativa, cum illis antea exscriptis bene comparantur. Si ἀφέλειαν horum exemplorum epanalepsis respiciemus, viro Francogallo Lafaye assentiemur, qui de repetitionibus a Catullo in carmine 62. adhibitis hoc scripsit, l. l. pag. 77: „Dans le style même, certains procédés semblent directement empruntés à Sapho: s'il en est un qu'on attribue volontiers aux Alexandrins, c'est assurément celui qui consiste à répéter un mot pour obtenir un effet de grâce familière; or Sapho en avait fait usage au moins autant que les Alexandrins.“ Hoc genus quidem epanalepsis a Catullo potius ex sermone Sapphus quam ex artificiis Alexandrinorum sumptum esse inde cognoscitur, quod

[1]) Hos locos viri docti iure cum illo fragmento Sapphus contulerunt, cf. G. Friedrich, ad c. 62.

nullum exemplum in epyllio (c. 64) multo longiore occurrit.[1]) His exemplis addere possumus hunc locum carminis cum poesi populari arte cohaerentis, quod in vita Homeri Herodoto falso adscripta traditum est (c. 33):

Δῶμα προςετραπόμεσθ' ἀνδρὸς μέγα δυναμένοιο,
ὃς μέγα μὲν δύναται, μέγα δὲ πρέπει ὄλβιος αἰει,[2])

ubi item, nisi lectio corrupta est, haec repetitio simplici sermoni apta invenitur.

Sed ut haec absolvam, vidimus hanc speciem epanalepsis in genere bucolico aliisque generibus, quae ei propinqua sunt, imprimis adhibitam esse; nam hoc praecipue sermonis suavis ac vividi proprium est, quod aliquid iam dictum repetitur, accuratius exponitur, deinde antithesi expletur. A poetis Graecis Vergilius hanc figuram poesi bucolicae aptam accepit; qui sane non eam speciem, in qua sententia verbis repetitis corrigitur, adhibuit, sed potius id. 9, 1 sq. secutus est ac plerumque complura verba iteravit. Quamquam hoc discrimen denegari non potest, tamen existimo omnibus exemplis huius figurae, qua aliquid repetitur et cum altero membro coniungitur, esse *ἀφέλειαν* quandam a poetis bucolicis appetitam.

§ 4. De iteratione versus paulum variati.

Aliud genus repetitionum, quod legentibus Bucolica Vergilii pro rata parte saepius occurrit, in eo cernitur, quod totus versus paucis tantum verbis mutatis repetitur. Plurima exempla huius generis laudavit Gebauer, l. l. pagg. 02 sq. In Bucolicis Vergilii hi versus eius generis leguntur:

4, 58: Pan etiam, Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum;

8, 49: crudelis mater magis an puer improbus ille?
improbus ille puer, crudelis tu quoque mater.

quo loco quidem ordo verborum minus aequalis est; deinde

[1]) In vv. 61 sq. repetitio verbi „prospicit" potius geminatio quam talis epanalepsis est.

[2]) Hoc *πρέπει* coniecit Ilgen pro verbo tradito: *βρέμει*.

tales versus nonnumquam complexionem complurium versuum quasi includunt:

7, 65: fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis,
populus in fluviis, abies in montibus altis.
saepius at si me, Lycida formose, revisas,
fraxinus in silvis cedat tibi, pinus in hortis.

8, 1: Pastorum Musam Damonis et Alphesiboei,
immemor herbarum quos est mirata iuvenca
certantes, quorum stupefactae carmine lynces
et mutata suos requierunt flumina cursus,
Damonis Musam dicemus et Alphesiboei.

In his exemplis versus intercalares 8. eclogae, qui in fine utriusque partis forma paulum variata occurrunt, numerare dubito, cum non, ut illi, unius complexionis sint. Non mirum est hoc genus repetitionis in eclogis compluries inveniri, cum maior suavitas efficiatur atque iteratione tam insigni verborum quasi sermo tenuis eorum, qui variationis parum studiosi sunt, exprimatur; imprimis in versu 7, 68 poëta hoc modo dictione multo simpliciore usus est, quam si ita fere dixisset: „omnes hae arbores tibi cedant."

Itaque in carminibus ceteris Vergilius rarissimo adhibuit hanc repetitionem. Non solum in illis quattuor libris, sed in omnibus Georgicorum et Aeneidis exempla desunt, praeter hoc unum in G. I, 406:

quacumque illa levem fugiens secat aethera pennis,
ecce inimicus atrox magno stridore per auras
insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras,
illa levem fugiens raptim secat aethera pennis.

Sicut Vergilium hoc artificium in Bucolicis non raro adhibitum in aliis carminibus fere omnino vitavisse cognovimus, item Theocritus in idylliis bucolicis ea repetitione compluries usus est; cum versibus eius generis apud Theocritum membra aequo ordine coniuncta enuntientur, exempla iam in capite I, § 3 et 4 exscripta sunt. Propterea hic eos versus breviter in memoriam revoco: id. 8, 28 ~ 29; 11, 22 ~ 23; 1, 88 ~ 91; quibus locis saepius syllabae, quae non pares sunt, certe similem sonum praebent. Nec praeterire velim hos versus:

8, 11: *χρῄσδεις ὦν ἐσιδεῖν; χρῄσδεις καταθεῖναι ἄεθλον;*
— *χρῄσδω τοῦτ' ἐσιδεῖν, χρῄσδω καταθεῖναι ἄεθλον.*

qui, quamquam non verba eiusdem personae sunt, cum illis exemplis conferri debent.

Sed in ceteris idylliis Theocriti ea res semel tantum legitur:

22, 25: *Κάστορος ἢ πρῶτον Πολυδεύκεος ἄρξομ' ἀείδειν;*
ἀμφοτέρους ὑμνέων Πολυδεύκεα πρῶτον ἀείσω.

in quibus versibus autem collocatio verborum parium non eadem est.

In carminibus inferiorum poetarum bucolicorum hanc repetitionem non repperi.

Denique videamus, num hoc quoque genus dicendi, quod Theocrito et Vergilio magis poesim bucolicam quam epicam decere visum est, ex carminibus, quae a poesi docta longissime absunt, repeti possit. Primum in memoriam reducendi sunt illi versus cuiusdam carminis popularis: *Ποῦ μοι τὰ ῥόδα,* quos supra (pag. 37) exscriptos invenies. Deinde ex Scoliis Graecorum haec afferri possunt (Bergk. III, p. 650, fr. 24):

Ἁ ὗς τὰν βάλανον τὰν μὲν ἔχει, τὰν δ' ἔραται λαβεῖν·
κἀγὼ παῖδα καλὴν τὴν μὲν ἔχω, τὴν δ' ἔραμαι λαβεῖν.

Deinde saepe pro numero versuum talia leguntur in Catulli illo suavi et simplici hymenaeo:

21: qui natam possis conplexu avellere matris,
conplexu matris retinentem avellere natam
et iuveni ardenti castam donare puellam
42: multi illum pueri, multae optavere puellae;
idem cum tenui carptus defloruit ungui,
nulli illum pueri, nullae optavere puellae.
53: hanc nulli agricolae, nulli coluere iuvenci;
at si forte eadem est ulmo coniuncta marito,
multi illam agricolae, multi coluere iuvenci.

Cum talis repetitio in carmine 64. multo longiore non inveniatur, videmus eam imprimis carminum suavium et simplicium, quae a populo cantabantur, non poesis nimis

excultae propriam esse. Quamobrem etiam Theocritus et Vergilius nonnumquam in Bucolicis, id quod in ceteris carminibus fere omnino evitaverunt, versus eo modo repetiverunt.

Quominus hac repetitione versuum *ἀφέλειαν* quandam stili effici credamus, id impedire videatur, quod Ovidius, ille poeta a rhetoribus instructus, libenter simili modo versus paulum variatos repetivit. Aliquot exempla collegit R. Helm, Festschrift Johannes Vahlen, Berlin 1900, pagg. 344 sqq. Sed hi loci a versibus adhuc tractatis eo differunt, quod iis aliud *ἦθος* est. Cum enim illis versibus iteratis generis bucolici aliorumque generum propinquorum suavitas cum tenuitate coniuncta appetita sit, exempla Ovidii, ut antea dixi, plerumque ad facetias pertinent. Unum tantum locum laudare velim, quo optime ostendi puto Ovidium imprimis ad antitheses spectare; illos enim versus Catulli, 62, 42 sqq., in suum usum sic convertit: Metam. III, 353 sqq.:

> Multi illum iuvenes, multae cupiere puellae;
> sed fuit in tenera tam dura superbia forma,
> nulli illum iuvenes, nullae tetigere puellae.

nam cum apud Catullum repetitione verborum tarda quaedam, sed suavis simplicitas exprimeretur, apud Ovidium eo, quod in versu repetito hoc „tetigere" pro verbo „cupiere" positum est, sententia facetissima et ingenio huius aptissima facta est. Item plurimi alii loci Ovidiani potius exemplum talium argutiarum quam simplicitatis praebent.

§ 5. De verbo in similitudine bis adhibito.

Postremo transeo ad genus quoddam repetitionis, quod quidem non adeo frequens est, sed, quantum video, nondum satis tractatum est. Interdum in similitudinis membris, et quo imago affertur, et quo res illustranda enuntiatur, tertium comparationis quod dicitur eodem verbo significatur. Tria exempla eius repetitionis in Bucolicis Vergilii occurrunt:

5, 16: Lenta salix quantum pallenti c e d i t olivae,
puniceis humilis quantum saliunca rosetis,
iudicio nostro tantum tibi c e d i t Amyntas.

5, 32: vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,
ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis,
tu decus omne tuis.

1, 19: Urbem quam dicunt Romam, Meliboee, putavi
stultus ego huic nostrae similem, quo saepe solemus
pastores ovium teneros depellere fetus.
sic canibus catulos similes, sic matribus haedos
noram, sic parvis componere magna solebam.

Ex his exemplis cognoscitur verbis sic bis adhibitis sermonem simpliciorem effici, quoniam is qui loquitur illo uno vocabulo se contentum praebet. Iam exspectandum est in libris stilo altiore et copiosiore conscriptis Vergilium non idem verbum in utroque membro comparationis posuisse, sed varia verba adhibere maluisse, nisi in altero membro verbum omisit. Et revera in illis quattuor libris Georgicorum et Aeneidis nullum exemplum invenitur, nisi quod in G. IV, 507—515 verba: „flesse" et „flet" et in A. XII, 684—691 verba „ruit" et „ruit" bis adhibita sunt; sed talia non cum illis locis eclogarum conferri debent, quia verba repetita non solum quinis versibus disiuncta sunt, sed etiam enuntiatorum non continuorum sunt, ut repetitio aegre sentiatur.

Eadem ratione Theocritus in Bucolicis similitudines eodem verbo in utroque membro adhibito composuit: cf.:

7, 97: *τόσσον ἐρᾷ Μυρτοῦς, ὅσον εἴαρος αἶγες ἔρανται.*

8, 88: *ὣς μὲν ὁ παῖς ἐχάρη καὶ ἀνάλατο καὶ πλατάγησε
νικάσας, οὕτως ἐπὶ ματέρα νεβρὸς ἅλοιτο.*

Conferendi sunt hi quoque versus, etsi in iis non propriae similitudines leguntur: ex iis repetitionibus cognosci potest talia bene cum stilo simpliciore convenire: id. 1. 23 sq.: *ἀείσῃς* ~ *ᾆσας*, 5, 52: *ὄσδοντι* ~ *ὄσδεις*, 10, 2: *ἄγειν* ~ *ἄγες*, 5, 110 sq.: *ἐρεθίζω* ~ *ἐρεθίζετε*. At mihi concedendum est nonnumquam etiam in reliquis idylliis Theocritum ita in similitudinibus idem verbum bis adhibuisse; neque apud Homerum ea repetitio rara est. Attamen inde, quod Vergilius eam in libris epicis paene vitavit, satis intelligitur eam altiori sermoni minus aptam esse quam simplicitati Bucolicorum.

Ut ea, quae in hoc capite disserui, complectar, Vergilium in eclogis variis generibus repetitionum multo magis usum esse quam in libris epicis cognovimus; ut illa aequabilitate membrorum, ita his figuris maxime *ἀφέλειαν*, qua huic generi litterarum opus est, appetivit. Haec Vergilius item a Theocrito, ut vidimus, accepit. Denique in hoc quoque capite nonnulla certe, quibus hi poetae suavitatem stili assecuti sunt, ad carmina poesi populari propinqua, quae imprimis iucunda quadam simplicitate excellunt, rettulimus.

Caput III.

De parataxi.

Quoniam de his formis repetitionis egi, ad aliam rem, qua sermo simplicior redditur, accedam. Ad *ἀφέλειαν* cum alias res tum studium membrorum aequo ordine coniungendorum pertinere inter omnes constat. Itaque iam exspectandum est Vergilium in Bucolicis, qua tenuitate stili conscripta sunt, parataxim praetulisse hypotaxi. Sed ineptum esset, si quis unumquemque locum horum carminum, quo membra eodem ordine coniuncta ratione hypotactica componere posset, hic afferre vellet. Nam notum est, ut oratores Romanorum magis subordinationem membrorum appetebant, ita poetas, praesertim qui Augusti aetate florebant, plerumque coordinationem praetulisse; imprimis Vergilium in omnibus operibus pro continuationibus longis et artificiosius constructis libenter posuisse enuntiata eodem ordine coniuncta viri docti cognoverunt.[1]) Attamen conabor singula quaedam insigniora ad parataxim pertinentia, quibus eius Bucolica superant reliqua carmina, hic proferre.

§ 1. De parataxi in similitudine adhibita.

Inter ea hoc commemoratu dignum mihi videtur, quod in similitudinibus id, quod comparatione describitur, et id,

---

[1]) Cf. Stolz-Schmalz, Lateinische Grammatik.[4] München 1910, pag. 652. Norden, l. l. pagg. 371 sq.

quod ad comparationem adhibetur, aequo ordine coniunctum est. Maxime propriae bucolici generis sunt illae series complurium membrorum, inter quae id, quod comparatur, extremo[1]) vel primo loco positum est, cf.:

2, 63: torva leaena lupum sequitur, lupus ipse capellam,
florentem cytisum sequitur lasciva capella,
te Corydon o Alexi.

3, 80: Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,
arboribus venti, nobis Amaryllidis irae.

3, 82: Dulce satis umor, depulsis arbutus haedis,
lenta salix feto pecori, mihi solus Amyntas.

10, 29: nec lacrimis crudelis Amor nec gramina rivis
nec cytiso saturantur apes nec fronde capellae.

Deinde in versibus 1, 19—23, quos paulo supra (pag. 98) exscripsi, membra similitudinis parataxi coniuncta sunt, cum in versibus, qui hos sequuntur, hypotaxis inveniatur. Tum etiam hae comparationes ratione paratactica adiunctae sunt:

5, 81: Quae tibi, quae tali reddam pro carmine dona?
nam neque me tantum venientis sibilus austri,
nec percussa iuvant fluctu tam litora, nec quae
saxosas inter decurrunt flumina valles.

6, 26: simul incipit ipse.
tum vero in numerum Faunosque ferasque videres
ludere, tum rigidas motare cacumina quercus;
nec tantum Phoebo gaudet Parnasia rupes,
nec tantum Rhodope miratur et Ismarus Orphea.

Denique his quoque locis, qui quidem non similitudines proprio sensu praebent, simplicitate quadam res comparatae eodem ordine coniunctae sunt:

8, 83: Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide laurum.

10, 53: certum est . . . teneris . . . meos incidere amores
arboribus: crescent illae, crescetis amores.

Haec parataxis membrorum similitudinis, quam in Bucolicis aliquotiens invenimus, a sermone graviore carminum epi-

[1]) Eo, quod postremo aliquid minus exspectatum enuntiatur, etiam suaviloquentia quaedam effecta est; cf. Demetrius, de elocutione § 139.

corum magis abhorret; in illis quattuor libris haec exempla occurrunt:

G. IV, 79: (apes) magnum mixtae glomerantur in orbem
praecipitesque cadunt; non densior aëre grando,
nec de concussa tantum pluit ilice glandis.

A. XII, 919: cunctanti telum Aeneas fatale coruscat
sortitus fortunam oculis, et corpore toto
eminus intorquet. murali concita numquam
tormento sic saxa fremunt, nec fulmine tanti
dissultant crepitus.

Quibus locis poeta magis variam formam comparationis quam simplicitatem appetivisse videtur.

Ut cognoscamus Vergilium non casu, sed consilio hanc parataxim in Bucolicis saepius adhibuisse, Theocriti carmina conferamus; hunc non raro similitudines membris aequo ordine coniunctis composuisse admonuit Legrand, l. l. pag. 374., qui etiam exempla attulit. — Haec tria priora exempla maxime Vergilius imitatione expressit:

8, 57: *δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερὸν κακόν, ὕδασι δ' αὐχμός,*
ὄρνισιν δ' ὕσπλαγξ, ἀγροτέροις δὲ λίνα,
ἀνδρὶ δὲ παρθενικᾶς ἁπαλᾶς πόθος.

8, 79: *τᾷ δρυῒ ταὶ βάλανοι κόσμος, τᾷ μαλίδι μᾶλα,*
τᾷ βοῒ δ' ἁ μόσχος, τῷ βουκόλῳ αἱ βόες αὐταί.

10, 30: *ἁ αἲξ τὰν κύτισον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει,*
ἁ γέρανος τὤροτρον, ἐγὼ δ' ἐπὶ τὶν μεμάνημαι.

deinde hi versus conferendi sunt:

7, 45: *ὥς μοι καὶ τέκτων μέγ' ἀπέχθεται, ὅστις ἐρευνῇ*
ἶσον ὄρευς κορυφᾷ τελέσαι δόμον Ὠρομέδοντος,
καὶ Μοισᾶν ὄρνιχες, ὅσοι ποτὶ Χῖον ἀοιδόν
ἀντία κοκκύζοντες ἐτώσια μοχθίζοντι.

Adiungendi sunt denique hi loci, quibus sane non similitudines proprio sensu exstant:

1, 86: *βούτας μὲν ἐλέγευ, νῦν δ' αἰπόλῳ ἀνδρὶ ἔοικας.*
ᾡπόλος ὅκκ' ἐσορῇ τὰς μηκάδας οἷα βατεῦνται,
τάκεται ὀφθαλμώς, ὅτι οὐ τράγος αὐτὸς ἔγεντο.

. . . *καὶ τὺ δ' ἐπεὶ κ' ἐσορῇς τὰς παρθένος οἷα γελᾶντι,*
τάκεαι ὀφθαλμώς, ὅτι οὐ μετὰ ταῖσι χορεύεις.

1, 1: *Ἁδύ τι τὸ ψιθύρισμα καὶ ἁ πίτυς, αἰπόλε, τήνα*
ἁ ποτὶ ταῖς παγαῖσι μελίσδεται, ἁδὺ δὲ καὶ τύ
συρίσδες.

5, 110: *τοὶ τέττιγες ὁρῆτε, τὸν αἰπόλον ὡς ἐρεθίζω.*
οὕτως κὔμμες θην ἐρεθίζετε τὼς καλαμευτάς.

Iam cum his conferamus exempla eius coordinationis, quae in reliquis poematibus Theocriti inveniuntur. Primum in illo epithalamio Helenae (id. 18) hi versus leguntur:

26: *ἀὼς ἀντέλλοισα καλὸν διέφανε πρόσωπον*
† πότνια νύξ † ἅτε λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος.
ὧδε καὶ ἁ χρυσέα Ἑλένα διαφαίνετ' ἐν ἁμῖν.
πιείρᾳ μέγα λᾷον ἀνέδραμε κόσμος ἀρούρᾳ
ἢ κάπῳ κυπάρισσος ἢ ἅρματι Θεσσαλὸς ἵππος·
ὧδε καὶ ἁ ῥοδόχρως Ἑλένα Λακεδαίμονι κόσμος.

Quo loco, quamquam lectioni codicum quaedam vitia subsunt,[1]) tamen verisimillimum mihi videtur in utraque similitudine membra a poeta parataxi coniuncta esse; hoc bene convenit cum suavi simplicitate, quae huic generi litterarum sicut bucolico apta est. Deinde etiam in ceteris carminibus interdum ea parataxis animadvertitur:

16, 60: *ἀλλ' ἶσος γὰρ ὁ μόχθος ἐπ' ᾐόνι κύματα μετρεῖν,*
ὅσσ' ἄνεμος χέρσονδε κατὰ γλαυκᾶς ἁλὸς ὠθεῖ,
ἢ ὕδατι νίζειν θολερὰν διαειδέι πλίνθον,
καὶ φιλοκερδείῃ βεβλαμμένον ἄνδρα παρελθεῖν,

quo loco ea simplicitas cum similitudine altera lepide dicta congruere mihi videtur; saepissime utrumque membrum minus arte coniunctum est:

2, 48: *ἱππομανὲς φυτόν ἐστι παρ' Ἀρκάσι, τῷ δ' ἐπὶ πᾶσαι*
καὶ πῶλοι μαίνονται ἀν' ὤρεα καὶ θοαὶ ἵπποι.

---

[1]) His verbis coniunctis: *ἀὼς . . . πρόσωπον*, quam interpretationem Wilamowitz, l. l. pag. 63 adn. 1 protulit, contextum verborum sanari mihi persuadere non possum; nam si poeta revera ita scripsisset, ne Graeci quoque, qui legebant, ad haec verba: *ἀὼς ἀντέλλοισα* coniungenda inducti essent, vereor.

ὥς καὶ Δέλφιν ἴδοιμι, καὶ ἐς τόδε δῶμα περάσαι
μαινομένῳ ἴκελος λιπαρᾶς ἔκτοσθε παλαίστρας.

14, 39: *μάστακα δοῖσα τέκνοισιν ὑπωροφίοισι χελιδὼν*
ἄψορρον ταχινὰ πέτεται βίον ἄλλον ἀγείρειν·
ὠκυτέρα μαλακᾶς ἀπὸ δίφρακος ἔδραμε τήνα
ἰθὺ δι' ἀμφιθύρω καὶ δικλίδος, ᾇ πόδες ἆγον.

17, 9: *Ἴδαν ἐς πολύδενδρον ἀνὴρ ὑλατόμος ἐλθὼν*
παπταίνει, παρεόντος ἅδην, πόθεν ἄρξεται ἔργου.
τί πρῶτον καταλέξω; ἐπεὶ πάρα μυρία εἰπεῖν,
οἷσι θεοὶ τὸν ἄριστον ἐτίμησαν βασιλήων.

13, 62: *νεβροῦ φθεγξαμένας τις ἐν οὔρεσιν ὠμοφάγος λῖς*
ἐξ εὐνᾶς ἔσπευσεν ἑτοιμοτάταν ἐπὶ δαῖτα·
Ἡρακλέης τοιοῦτος ἐν ἀτρίπτοισιν ἀκάνθαις
παῖδα ποθῶν δεδόνητο, πολὺν δ' ἐπελάμβανε χῶρον.

qui locus hic non laudandus est, nisi cum recentioribus editoribus versum 61. non omnibus libris traditum omittimus. Quamquam igitur in his quoque carminibus ea parataxis non raro observatur, iis locis nostram sententiam non redargui dicet, qui considerabit sermonem ne horum quidem idylliorum, praecipue mimorum (2. et 14.), simplicitate quadam carere.

In illis carminibus inferiorum poetarum bucolicorum talia non inveni.

Sed ut summam faciam, ex exemplis prolatis cognoscitur Theocritum, ut sermonem tenuiorem efficeret, compluries in Bucolicis neque non in ceteris carminibus eodem ordine membra similitudinis coniunxisse; idem nonnumquam Vergilius in eclogis, raro in Georgicis et Aeneide adhibuit. Denique quam bene cum sermone tenui haec parataxis conveniat, patet ex illo fragmento cantici Graeci, quod in pag. 96. laudavi.

§ 2. De adiunctione paratactica brevium enuntiatorum causalium.

Praeter hanc rem diligentius persequi velim aliud genus dicendi memoratu dignum, quod item ad parataxim pertinet. Qui Bucolica Vergilii accuratius leget, animadvertet saepe

brevia enuntiata primaria alteri sententiae, saepe imperativae, cuius causa iis enuntiatur, aut postposita aut interposita. His enuntiatis stilus efficitur simplicior ac sermoni cotidiano similior. Apparet enim poetam, nisi simplicitati operam daret, haec pauca verba, quibus causa alterius sententiae enuntiatur, potius ratione hypotactica, sive enuntiatis causalibus sive finalibus sive relativis sive participiis, significaturum esse. Sane ea enuntiata causalia, si longiora sunt, coordinatione adnecti minus memorabile est. Itaque de his enuntiatis primariis dicere possumus, quod Demetrius, l. l. § 137, de alia quadam sententia brevi adiuncta docet: *Εὐθὺς οὖν πρώτη ἐστὶ χάρις ἡ ἐκ συντομίας, ὅταν τὸ αὐτὸ μηκυνόμενον ἄχαρι γένηται, ὑπὸ δὲ τάχους χάριεν . . . τὸ γὰρ ἐπιλεγόμενον . . . ὑπὸ τῆς συντομίας τὴν χάριν ποιεῖ, εἰ δὲ ἐμηκύνθη διὰ πλειόνων . . . διήγημα ἂν ψιλὸν ἐγένετο ἀντὶ χάριτος.* Sed ut certus modus definiatur, hic conferam tantum ea enuntiata illius generis, quae breviora uno hexametro sunt.

Primum afferenda sunt exempla Bucolicorum Vergilii; quae in varias species distribuere praestabit. 1. Primo loco paratactica enuntiata causalia laudantur, quae alteri sententiae postposita exitum versus tenent, id quod persaepe animadvertitur; multa eorum alterum dimidium hexametri explent:[1])

3, 59: alternis dicetis: | amant alterna Camenae.
3, 76: Phyllida mitte mihi: | meus est natalis, Iolla.
6, 24: solvite me pueri; | satis est potuisse videri.
7, 9: huc ades o Meliboee; | caper tibi salvus et haedi;
8, 30: sparge marite nuces: | tibi deserit Hesperus Oetam.
9, 50: insere Daphni piros; | carpent tua poma nepotes.
9, 62: hic haedos depone, | tamen veniemus in urbem.
5, 60: nec lupus insidias pecori nec retia cervis
ulla dolum meditantur; | amat bonus otia Daphnis.
7, 33: Sinum lactis et haec te liba, Priape, quotannis
exspectare sat est: | custos es pauperis horti.
8, 62: Haec Damon; vos, quae responderit Alphesiboeus,
dicite Pierides: | non omnia possumus omnes.

[1]) Sententiis in altero hemistichio positis Theocritum et Vergilium continuationes libenter clausisse cognovit Gebauer, l. l. pag. 17 sq.

8,74: (terna) . . . licia circumdo terque haec altaria circum
effigiem duco: | numero deus impare gaudet.

in aliis exemplis hoc enuntiatum causale vel brevius vel longius secundo hemistichio est:

3,111: claudite iam rivos, pueri: sat prata biberunt.
5,19: sed tu desine plura, puer: successimus antro.
8,29: Mopse, novas incide faces: tibi ducitur uxor.
5,12: incipe; pascentes servabit Tityrus haedos.
5,40: spargite humum foliis, inducite fontibus umbras,
pastores: mandat fieri sibi talia Daphnis.
8,102: his (scil. venenis et herbis) ego Daphnim
adgrediar; nihil ille deos, nil carmina curat.
9,53: nunc oblita mihi tot carmina; vox quoque Moerim
iam fugit ipsa: lupi Moerim videre priores.

Iam cognoscitur ex his locis, quae *ἀφέλεια* frequenti usu talium enuntiatorum, pro quibus in sermone graviore plerumque enuntiata secundaria ponerentur, effecta sit. Tenuitas stili eo etiam augeri mihi videtur, quod haec enuntiata non particulis „nam, enim“ adnexa, sed asyndeta sunt. Eae adhibitae sunt solum in his interrogationibus causalibus, quae propterea minus memorabiles sunt, quod non tam integrae in enuntiata secundaria mutari poterant:

2,68: me tamen urit amor: | quis enim modus adsit amori?
9,39: huc ades o Galatea: | quis est nam ludus in undis?

Vidimus igitur exempla huius speciei satis frequentia esse: hoc haud scio an ea re factum sit, quod talia enuntiata causalia ad sententias praecedentes maxime respicere debent atque eam ob rem cum iis quasi metrica ratione artius connectuntur.

2. Deinde laudo ea enuntiata eius generis, quae item sententiam, cuius causa effertur, sequuntur neque vero in exitu versus posita sunt; haec multo rarius in eclogis inveniuntur:

10,31: tamen cantabitis Arcades . . .
montibus haec vestris: soli cantare periti
Arcades.
3,94: Parcite oves nimium procedere: non bene ripae
creditur: ipse aries etiam nunc vellera siccat.

quo loco his verbis: „non bene ripae creditur" ipsis quoque simili modo enuntiatum parataxi adiunctum est.[1]) 3. Denique transeundum est ad enuntiata eius generis, quae alteri sententiae non postposita, sed interposita sunt. In numero eorum habere dubitare quis possit haec enuntiata causalia, quae universae continuationi quidem interposita sunt, at membrum, ad quod pertinent, iam absolutum sequuntur:

8, 95: Has herbas atque haec Ponto mihi lecta venena
ipse dedit Moeris (nascuntur plurima Ponto);
his ego saepe lupum fieri et se condere silvis
Moerim . . . vidi . . .

7, 21: Nymphae, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen
quale meo Codro concedite (proxima Phoebi
versibus ille facit) aut, si non possumus omnes,
hic arguta sacra pendebit fistula pinu.

Plurima autem talia enuntiata mediae sententiae inserta sunt. Mirum in modum ea omnia eandem fere partem hexametri, quae ab incisione usque ad quintum trochaeum aut ad caesuram bucolicam pertinet, occupant; cf.

3, 53: tantum, vicine Palaemon,
sensibus haec imis (res est non parva) reponas.
4, 48: adgredere o magnos (aderit iam tempus) honores,
9, 24: et inter agendum
occursare capro (cornu ferit ille) caveto.[2])
9, 64: cantantes licet usque (minus via laedit) eamus.
10, 77: ite domum saturae, venit Hesperus, ite capellae.

Afferenda sunt etiam haec primaria enuntiata causalia, quae alteri sententiae quasi intertexta sunt:

3, 92: Qui legitis flores et humi nascentia fraga,
frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.
8, 100: parcite, ab urbe venit, iam parcite carmina, Daphnis.

[1]) In oratione minus simplici easdem sententias ita fere coniungi puto: „Parcite oves nimium procedere, cum ripae, id quod aries etiam nunc vellera siccans ostendit, non bene credatur".

[2]) Compositioni versus 25. est simillima compositio versus 23: Tityre, dum redeo, (brevis est via) pasce capellas, in quo vero interpositio non sensum causalem habet.

Apparet hanc collocationem verborum in priore exemplo adhibitam esse ad trepidationem exprimendam, in altero ut versus ad versum intercalarem aptaretur. — His exemplis addere velim alia enuntiata similia, quae quamquam causali sensu interpretari possumus, non tam certo ad causam significandam pertinent, sed potius ad sententiam porro efferendam. Etiamsi minus commemoratu digna sunt, tamen ea nolim praetermittere, quia inter ea fortasse quaedam sunt, quae alius in exemplis supra laudatis numerare malit:

2, 53: addam cerea pruna: | honos erit huic quoque pomo.
3, 2: Non, verum Aegonis; | nuper mihi tradidit Aegon.
3, 49: Numquam hodie effugies; | veniam quocumque vocaris.
4, 8: tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
desinet ac toto surget gens aurea mundo,
casta fave Lucina: | tuus iam regnat Apollo.
4, 38: cedet et ipse mari vector, nec nautica pinus
mutabit merces: | omnis feret omnia tellus.
5, 52: Daphnin ad astra feremus: | amavit nos quoque Daphnis.
8, 91: has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,
pignora cara sui, quae nunc ego limine in ipso,
terra, tibi mando; | debent haec pignora Daphnim.
10, 8: non canimus surdis, | respondent omnia silvae.
10, 75: solet esse gravis cantantibus umbra,
iuniperi gravis umbra; | nocent et frugibus umbrae:

denique hoc loco dubium mihi videtur, utrum membro adiuncto significetur, quae sit causa rerum praecedentium, an quid ex exemplis cognoscatur:

2, 63: torva leaena lupum sequitur, lupus ipse capellam,
florentem cytisum sequitur lasciva capella,
te Corydon, o Alexi: | trahit sua quemque voluptas.

Etiamsi haec exempla postremo exscripta negligimus, certo cognoscitur ea brevia enuntiata primaria alteri sententiae sensu causali adiuncta, cum sermoni simplici aptissima sint, in Bucolicis Vergilii pro rata parte saepe inveniri. Pleraque exempla occurrunt in colloquiis et canticis personarum, cum earum sermo imprimis tenuis ac vivus esse debeat; at non

omnino in verbis poetae ipsius, qui in toto opere stili simplicitatem appetivit, desiderantur, cf.: 8, 63; 4, 48; 10, 77. Admonere velim ἀφέλειαν horum enuntiatorum saepe eo etiam insigniorem factam esse, quod idem verbum positum est in enuntiato praecedenti et in enuntiato causali: si enim hoc est, etiam commodius erat hypotaxi sententias coniungere, cf. 3, 59; 9, 53 sq.; 10, 31 sq.; 8, 95 sq.; 3, 2; 5, 52; 8, 91 sqq.; 10, 75 sq.[1])

Sed ut certius intelligatur usum tam frequentem horum enuntiatorum causalium cohaerere cum simplicitate stili bucolici, iterum oportet carmina epica comparare. Iam laudabo omnia exempla, quae in illis libris G. I, IV; A. I, XII, inveniuntur. — 1. Primum multo rarius occurrunt illa brevia enuntiata causalia, quae alteri sententiae postposita sunt et exitum versus tenent:

G. IV, 530: at non Cyrene; | namque ultro adfata timentem:
A. I, 463: solve metus; feret haec aliquam tibi fama salutem.
G. I, 289: nocte leves melius stipulae, nocte arida prata
tondentur: noctes lentus non deficit umor.
G. I, 430: at si virgineum suffuderit ore ruborem,
ventus erit; vento semper rubet aurea Phoebe.
A. I, 202: revocate animos maestumque timorem
mittite; forsan et haec olim meminisse iuvabit.
A. XII, 72: ne, quaeso, ne me lacrimis neve omine tanto
prosequere in duri certamina Martis euntem,
o mater; neque enim Turno mora libera mortis.

Cum in tot versibus tam exiguus numerus exemplorum huius speciei reperiatur, cognoscet is, qui eum cum multitudine talium enuntiatorum in eclogis adhibitorum conferet, haec praecipue Bucolicorum propria esse; imprimis illa enuntiata in finibus alterius hemistichii posita a sermone epico aliena sunt. Admonere etiam velim haec exempla fere omnia in oratione recta occurrere. — 2. Deinde raro leguntur etiam ea

[1]) Eodem modo in his enuntiatis causalibus, quae, cum longiora uno hexametro sint, non laudavi, verba simplicitate quadam repetuntur: 3, 60 sq.; 3, 62 sq.; 2, 31 sq.; 8, 21 sqq.; 8, 68 sqq.; 10, 28 sqq.

enuntiata causalia, quae alteri sententiae postposita non in exitu versus collocata sunt: inveni in quattuor libris tantum hos locos:

G. I, 11: ferte simul Faunique pedem Dryadesque puellae:
munera vestra cano.

G. IV, 358: duc, age, duc ad nos; fas illi limina divum
tangere.

A. XII, 152: tu pro germano si quid praesentius audes,
perge: decet.

A. XII, 158: aut tu bella cie conceptumque excute foedus:
auctor ego audendi.

G. I, 463: sol tibi signa dabit. Solem quis dicere falsum
audeat?

quo loco vero enuntiatum causale est interrogativum, quod est, ut dixi, minus insigne. Videmus igitur etiam hanc speciem satis raram esse in libris epicis; huc accedit, quod in A. XII, 152 sq. et 158 sq. haec enuntiata causalia non tam ad simplicitatem sermonis quam ad brevitatem et gravitatem, qua Iuno deam minorem adloquitur, exprimendam pertinent. — 3. Denique saepius in libris epicis talia enuntiata causalia inveniuntur, quae alteri sententiae interposita sunt. Plerumque vero id enuntiatum non medio membro interpositum est, sed post id membrum continuationis, ad quod spectat, cf.:

G. IV, 8: Principio sedes apibus statioque petenda,
quo neque sit ventis aditus (nam pabula venti
ferre domum prohibent) neque oves haedique [petulci
floribus insultent . . .

G. IV, 206: ergo ipsas quamvis angusti terminus aevi
excipiat (neque enim plus septima ducitur aestas),
at genus immortale manet . . .

G. IV, 486: . . . redditaque Eurydice superas veniebat ad auras
pone sequens (namque hanc dederat Proserpina legem),
cum subita incautum dementia cepit amantem . . .

A. XII, 565: nequa meis esto dictis mora (Iuppiter hac stat),
neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.

A. XII, 932: miseri te si qua parentis
tangere cura potest, oro (fuit et tibi talis
Anchises genitor), Dauni miserere senectae
et me seu corpus . . . mavis redde meis.

At multo rarius quam in Bucolicis hoc enuntiatum causale sententiae vere interpositum est:

G. I, 432: sin ortu quarto (namque is certissimus auctor)
pura neque obtunsis per caelum cornibus ibit,
totus et ille dies et qui nascentur ab illo
exactum ad mensem pluvia ventisque carebunt, . . .

A. I, 198: o socii (neque enim ignari sumus ante malorum)
o passi graviora, dabit deus his quoque finem.

A. I, 306: (Aeneas) . . . exire locosque
explorare novos, quas vento accesserit oras,
qui teneant (nam inculta videt) hominesne feraene,
quaerere constituit sociisque exacta referre:

deinde in his versibus enuntiatum causale ita positum est, ut saepe apud Homerum[1]):

A. I, 731: Iuppiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur,
hunc laetum Tyriisque diem Troiaque profectis
esse velis.

Semel quoque talis sententia interposita est interrogativa:

A. XII, 797: mortalin decuit violari volnere divom,
aut ensem (quid enim sine te Iuturna valeret?)
ereptum reddi Turno et vim crescere victis?

Si haec exempla talium enuntiatorum interpositorum respiciemus, videbimus plurima eorum inserta esse continuationibus satis longis, cf. G. IV, 8 sqq.; G. IV, 206 sqq.; G. IV, 480 sqq.; A. XII, 932 sqq.; G. I, 432 sqq.; A. I, 306 sqq.; haec enuntiata igitur videntur a poeta interposita esse, ne periodi difficiliores ac minus sermoni poetico aptae essent, id quod de plerisque exemplis eclogarum dici non potest. — Denique hic quoque absolutionis causa exscribo eos locos, quibus dubium est, num vere eo brevi enuntiato primario causa enuntietur:

[1]) Cf. Classen, Beobachtungen über den homerischen Sprachgebrauch, Frankfurt 1867, pag. 8.

G. IV, 399: vim duram et vincula capto
tende; doli circum haec demum frangentur inanes.
A. I, 21: hinc populum late regem belloque superbum
venturum excidio Libyae: sic volvere Parcas.
A. I, 205: tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas
ostendunt; illic fas regna resurgere Troiae.
A. I, 671: et vereor, quo se Iunonia vertant
hospitia; haud tanto cessabit cardine rerum.
A. I, 278: his ego nec metas rerum nec tempora pono,
imperium sine fine dedi.
A. I, 267: at puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo
additur (Ilus erat, dum res stetit Ilia regno),
triginta magnos . . . orbes imperio explebit.

Ex his versibus igitur certo cognoscitur, quod demonstrare in animo habui, illa parva enuntiata primaria causali sensu adiuncta, quae in Bucolicis Vergilius tam saepe adhibuit, in his carminibus epicis pro numero versuum satis raro inveniri; imprimis duas species eorum paene proprias Bucolicorum esse apparuit: illa enuntiata postposita ac versus exitum tenentia et illas parentheses mediis membris insertas.

Iam quaeramus, quatenus Theocritus in ea re quoque Vergilio sermonem generi aptum praeparaverit. Afferam exempla horum causalium enuntiatorum, quae in 10 idylliis bucolicis leguntur. 1. Primum, ut supra, ea exscribam, quae alteri sententiae postposita sunt atque hexametrum claudunt; de iis multa secundum hemistichium explent:

4, 13: *δειλαῖαί γ' αὗται, | τὸν βουκόλον ὡς κακὸν εὗρον.*
4, 41: *θαρσεῖν χρή, φίλε Βάττε· | τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον.*
8, 84: *λάσδεο τᾶς σύριγγος· | ἐνίκασας γὰρ ἀείδων.*
10, 10: *οὐδαμά νυν συνέβα τοι ἀγρυπνῆσαι δι' ἔρωτα;*
— *μηδέ γε συμβαίη· | χαλεπὸν χορίω κύνα γεῦσαι.*
4, 20: *εἴθε λάχοιεν*
τοὶ τῶ Λαμπριάδα, τοὶ δαμόται ὅκκα θύωντι
τᾷ Ἥρᾳ, τοιόνδε· | †κακοχράσμων† γὰρ ὁ δᾶμος.[1])

[1]) Etiamsi hic versus in libris non salvus tradi videtur, tamen tale enuntiatum causale subesse pro certo habeo.

5, 1: *Αἶγες ἐμαί, τῆνον τὸν ποιμένα τὸν Συβαρίταν*
φεύγετε τὸν Λάκωνα· | τό μευ νάκος ἐχθὲς ἔκλεψεν.
7, 35: *ἀλλ' ἄγε δή· ξυνὰ γὰρ ὁδός, ξυνὰ δὲ καὶ ἀώς·*
βουκολιασδώμεσθα· | τάχ' ὥτερος ἄλλον ὀνασεῖ.
10, 46: *ἐς βορέαν ἄνεμον τᾶς κόρθυος ἁ τομὰ ὔμμιν*
ἢ ζέφυρον βλεπέτω· | πιαίνεται ὁ στάχυς οὕτως.
10, 52: *εὐκτὸς ὁ τῶ βατράχω, παῖδες, βίος· οὐ μελεδαίνει*
τὸν τὸ πιεῖν ἐγχεῦντα· | πάρεστι γὰρ ἄφθονον αὐτῷ,

quo loco animadvertas velim alterum membrum ipsum quoque tale enuntiatum causale esse. Deinde hi versus afferendi sunt:

5, 109: *μή μευ λωβάσησθε τὰς ἀμπέλος· ἐντὶ γὰρ αὖαι.*
5, 96: *κἠγὼ μὲν δωσῶ τᾷ παρθένῳ αὐτίκα φάσσαν*
ἐκ τᾶς ἀρκεύθω καθελών· τηνεὶ γὰρ ἐφίσδει.
7, 52: *Ἔσσεται Ἀγεάνακτι καλὸς πλόος εἰς Μιτυλήναν, . . .*
αἴ κα τὸν Λυκίδαν ὀπτεύμενον ἐξ Ἀφροδίτας
ῥύσηται· θερμὸς γὰρ ἔρως αὐτῶ με καταίθει.

Hunc locum addo, quo enuntiatum causale est interrogativum:

10, 8: *οὐδαμά τοι συνέβα ποθέσαι τινὰ τῶν ἀπεόντων;*
— *οὐδαμά· τίς δὲ πόθος τῶν ἔκτοθεν ἐργάτᾳ ἀνδρί;*

Exempla minus insignia quidem sunt hi versus, cum in iis illa brevia enuntiata causalia ipsa ex singulis enuntiatis primariis et secundariis composita sint:

8, 67: *ταὶ δ' ὄιες, μηδ' ὔμμες ὀκνεῖθ' ἁπαλᾶς κορέσασθαι*
ποίας· οὔτι καμεῖσθ', ὅκκα πάλιν ἅδε φύηται.
10, 24: *Μῶσαι Πιερίδες, συναείσατε τὰν ῥαδινάν μοι*
παῖδ'· ὧν γάρ χ' ἅψησθε, θεαί, καλὰ πάντα ποεῖτε.

2. Rarius, sicut in eclogis Vergilii, hic inveniuntur talia enuntiata, quae alteram sententiam sequuntur neque versus exitum tenent:

5, 31: *μὴ σπεῦδ'· οὐ γάρ τοι πυρὶ θάλπεαι.*
4, 52: *κακῶς ἁ πόρτις ὄλοιτο.*
εἰς ταύταν ἐτύπην χασμεύμενος.
10, 21: *τὺ μόνον κατάβαλλε τὸ λᾶον,*
καί τι κόρας φιλικὸν μέλος ἀμβάλευ. ἅδιον οὕτως
ἐργαξῇ.

3. Neque saepius enuntiata eius generis interposita, id quod apud Vergilium frequentius occurrit, inveniuntur,[1]) cf.

7, 35: quem versum paulo ante exscripsi,

8, 49: *ὦ τράγε, τᾶν λευκᾶν αἰγῶν ἄνερ, ὦ βάθος ὕλας*
μυρίον (ὦ σιμαὶ δεῦτ' ἐφ' ὕδωρ ἔριφοι),
ἐν τήνῳ γὰρ τῆνος, ἴθ' „ὦ καλὲ" καὶ λέγε „Μίλων, . . ."[2])

Denique nonnulla enuntiata similia afferenda sunt, quibus num revera causa sententiae praecedentis significetur, non tam planum est:

4, 2: *οὐκ ἀλλ' Αἴγωνος· | βόσκειν δέ μοι αὐτὰς ἔδωκεν.*

5, 82: *καὶ γὰρ ἔμ' Ὡπόλλων φιλέει μέγα καὶ καλὸν αὐτῷ*
κριὸν ἐγὼ βόσκω. | τὰ δὲ Κάρνεα καὶ δὴ ἐφέρπει.

4, 38: *ὦ χαρίεσσ' Ἀμαρυλλί, μόνας σέθεν οὐδὲ θανοίσας*
λασεύμεσθ'. ὅσον αἶγες ἐμὶν φίλαι, ὅσσον ἀπέσβης.

Theocriti carmina bucolica igitur exempla huius generis coördinationis pro numero versuum satis multa praebent, unde cognoscitur ea stilo bucolico apta esse. Quod item in Bucolicis Vergilii observavimus, plurima illa enuntiata causalia alteram sententiam sequuntur et in exitu versus posita sunt. Animadvertitur particulam *γάρ* a Theocrito saepius quam voces „nam, enim" a Vergilio adhibitam esse: hoc propterea non mirum est, quod et lingua Graeca usui particularum magis favet et hoc *γάρ* multo levius est quam illa „nam" primo loco ponendum et „enim" bisyllabum.

Sed nostra interest quaerere, quotiens ea enuntiata in reliquis carminibus inveniantur. Primum in mimis urbanis haec exempla leguntur:

15, 59: *σπεύδωμες· | ὄχλος πολὺς ἄμμιν ἐπιρρεῖ.*

15, 13: *θάρσει Ζωπύριον, γλυκερὸν τέκος· οὐ λέγει ἀπφῦν.*

15, 73: *θάρσει γύναι· ἐν καλῷ εἰμές.*

his locis duos addere velim, quibus enuntiata causali sensu adiuncta esse minus certum est:

[1]) Omnino parentheses a Theocrito aliisque poetis Alexandrinis minus adhibitas esse quam a Romanis May, l. l. pagg. 77 sq., cognovit.

[2]) Hos versus ea forma scriptos Wilamowitz, l. l. pagg. 34 sq., interpretatus est.

15,60: *εἶτα παρενθεῖν*
εὐμαρές; — ἐς Τροίαν πειρώμενοι ἦνθον Ἀχαιοί,
κάλλιστα παίδων· | πείρᾳ θην πάντα τελεῖται.
15,99: *φθεγξεῖταί τι, σάφ' οἶδα, καλόν· διαθρύπτεται ἤδη.*

Videmus igitur in hoc idyllio 15. enuntiata eius generis non rara esse, cum ad tenuitatem sermonis cotidiani exprimendam apta sint. Deinde in epithalamio Helenae tantum hoc exemplum occurrit:

47: *γράμματα δ' ἐν φλοιῷ γεγράψεται, ὡς παριών τις*
ἀννείμῃ Δωριστί· „σέβου μ'· Ἑλένας φυτὸν εἰμί“.

Ex idylliis 16. et 17. hic versus solus afferri potest:

17,3: *ἀνδρῶν δ' αὖ Πτολεμαῖος ἐνὶ πρώτοισι λεγέσθω*
καὶ πύματος καὶ μέσσος· | ὃ γὰρ προφερέστατος ἀνδρῶν.

Denique illa idyllia epica 13, 22, 24, praebent haec exempla:

24,35: *ἄνσταθ' Ἀμφιτρύων· | ἐμὲ γὰρ δέος ἴσχει ὀκνηρόν.*
13,52: *κουφότερ' ὦ παῖδες ποιεῖσθ' ὅπλα· πλευστικὸς οὖρος.*
24,50: *ἄνστατε δμῶες ταλασίφρονες· αὐτὸς ἀυτεῖ.*
13,70: *ὃ δ' ᾇ πόδες ἆγον ἐχώρει*
μαινόμενος· χαλεπὸς γὰρ ἔσω θεὸς ἧπαρ ἄμυσσεν.
22,116: *εἰπὲ θεά, σὺ γὰρ οἶσθα.*

Cognoscimus igitur hoc genus dicendi etiam in carminibus epicis Theocriti pro numero versuum raro adhibitum esse; praeterea animadvertendum est de his locis tres primos esse orationis rectae, quam vivam et simplicem esse poeta voluit.

Certius etiam cognoscitur hoc studium parataxis, quod in frequenti usu brevium enuntiatorum causalium cernitur, imprimis generis bucolici proprium esse, si illa Bucolica inferiorum temporum comparantur; in epitaphio Bionis haec exempla occurrunt:

6: *. . . νῦν ὑάκινθε λάλει τὰ σὰ γράμματα καὶ πλέον αἰαῖ*
λάμβανε τοῖς πετάλοισι· | καλὸς τέθνακε μελικτάς.
100: *ταῖς Νύμφαισι δ' ἔδοξεν ἀεὶ τὸν βάτραχον ᾄδειν.*
ταῖς δ' ἐγὼ οὐ φθονέοιμι· | τὸ γὰρ μέλος οὐ καλὸν ᾄδει.

imprimis autem *ἀφέλεια*, quae est illius idyllii 27, magnam partem frequentia talium versuum effecta est:

3: *μὴ καυχῶ σατυρίσκε, | κενὸν τὸ φίλαμα λέγουσιν.*
29: *ὠδίνειν τρομέω· | χαλεπὸν βέλος Εἰληθυίης.*
41: *οὔνομα σὸν λέγε τῆνο· | καὶ οὔνομα πολλάκι τέρπει.*
47: *αἶγες ἐμαὶ βόσκεσθε, | τὰ βουκόλω ἔργα νοήσω.*
8: *μὴ καυχῶ· τάχα γάρ σε παρέρχεται ὡς ὄναρ ἥβη.*
12: *οὐκ ἐθέλω· καὶ πρίν με παρήπαφες ἀδέϊ μύθῳ.*
57: *μίμνε τάλαν· τάχα τίς τοι ἐπέρχεται· ἦχον ἀκούω.*

quibus exemplis cunctanter hos versus addo:

14: *τὴν σαυτοῦ φρένα τέρψον· | ὀιζύον οὐδὲν ἀρέσκει.*
18: *βαλλέτω ὡς ἐθέλει· | πάλιν Ἄρτεμις ἄμμιν ἀρήγει.*

denique in idyllio 20. quidem nullum exemplum inveni.

Multo rarius autem pro numero versuum talia enuntiata adhibita sunt a poetis illorum trium carminum epicorum, quae antea illis tribus bucolicis opposuimus. In epyllio, quod *Ἡρακλῆς λεοντόφονος* inscribitur, tantum haec exempla inveniuntur:

43: *ναὶ γέρον, Αὐγείην ἐθέλοιμί κεν ἀρχὸν Ἐπειῶν*
εἰσιδέειν· τοῦ γάρ με καὶ ἤγαγεν ἐνθάδε χρειώ.
65: *ἂψ δ' ὄκνῳ ποτὶ χεῖλος ἐλάμβανε μῦθον ἰόντα,*
μή τί οἱ οὐ κατὰ καιρὸν ἔπος προτιμυθήσαιτο
σπερχομένου· χαλεπὸν δ' ἑτέρου νόον ἴδμεναι ἀνδρός.

iam apparet in versu 44. hoc enuntiatum ad simplicitatem colloquii exprimendam pertinere; item in versu 67. eo enuntiato adiuncto, praesertim cum obliqua forma deliberationis quasi transeat in rectam, optime *ἀφέλεια* hominis rustici efficta esse mihi videtur.[1]) Etiam in carmine *Μεγάρα* nullum tale enuntiatum causale inveni nisi hoc loco:

47: *ἄλλος μὰν οὐκ ἄν τις ἐυφρῆναί με παραστάς*
κηδεμόνων· οὐ γάρ σφε δόμων κατὰ τεῖχος ἐέργει.

Item in carmine Moschi *Εὐρώπη* numerus exemplorum pro rata parte exiguus est; cf.:

16: *ἡ δ' ἀπὸ μὲν στρωτῶν λεχέων θόρε δειμαίνουσα*
παλλομένη κραδίην· | τὸ γὰρ ὡς ὕπαρ εἶδεν ὄνειρον.

---

[1]) Ceterum enuntiatum adiunctum non proprio sensu causale est, cum particula *δέ* adhibita sit.

Sed ut hanc rem absolvam, intelleximus Theocritum eiusque imitatores studio quodam parataxis haec brevia enuntiata primaria, quibus causa sententiae praecedentis effertur, saepe in carminibus bucolicis adhibuisse, id quod in epicis multo rarius observatur. Vergilium item haec enuntiata, sicut alia bucolici generis propria a Theocrito sumpsit, usurpavisse, ut stilum simpliciorem redderet, vidimus.

De variis generibus horum enuntiatorum causalium ea saepissime occurrere cognovimus, quae in exitu versus collocata sunt. Ex parte causa eius frequentiae, ut supra dixi, inde repetenda est, quod enuntiata ita collocata magis inter se cohaerent. Huc accedere mihi videtur alia causa, de qua id in Bucolicis tam saepe inveniatur; hanc opinionem exponere velim. Homines indocti ac simplices, si de qua re disserunt vel quid admonent, libentissime id confirmant sententiis a toto populo probatis, i. e. proverbiis. Proverbia Graecorum versu paroemiaco, qui dicitur, plerumque confecta esse constat; quem poetae dactylici, cum paroemia adhibebant, commodissime alterum dimidium versus faciebant. Hoc modo etiam Theocritus proverbia alteri sententiae adiunxit, id quod iam dudum viri docti cognoverunt: cf. Meineke, Theocritus Bion Moschus[3], 1856, pagg. 454sqq., Gebauer, l. l, pagg. 5sq. At apertum est non omnia illa enuntiata in altero hemistichio posita fuisse proverbia, sed tantum nonnulla, velut: 4, 41; 10, 11; tamen ea enuntiata ad exemplum proverbiorum collocata esse puto. Deinde etsi saepe enuntiata causalia a nobis laudata vel breviora vel longiora altero hemistichio sunt, tamen pleraque cum illis ea re cohaerere videntur, quod exitum versus tenent, qua re clausula paroemiaci servatur. — Quam sententiam certiorem fieri arbitror poesi gnomica, quae item a simplici genere dicendi populi non longe abest. Ut exemplo utar carmine Hesiodi, quod inscribitur *Ἔργα καὶ Ἡμέραι*, in partibus gnomicis huius operis multa talia enuntiata causalia pro numero versuum inveniuntur, de quibus plurima, ut in illis exemplis bucolicis, exitum versus tenent; ne longius hoc fiat, quam brevissime afferam locos, qui huc pertinent:

versus ed. A. Rzach, Lipsiae 1902, 352, 369: 603, 694, 752, 756, 759, 799; 313, 377, 570, 745, 793; 750. Quamquam talia enuntiata non omnino desunt apud Homerum, tamen nusquam tam crebro inveniantur quam in his partibus carminis Hesiodi. In hoc, sicut in poesi bucolica, nonnulla horum enuntiatorum e proverbiis Graecis fluxerunt, quod H. Usener in hoc libro: Altgriechischer Versbau, Bonn 1887, pagg. 48—51 docuit; cetera autem, quae paroemia fuisse non possunt, sicut haec collocata esse credo.

§ 3. De singulis quibusdam sententiis Bucolicorum parataxi compositis.

Quoniam haec duo genera coordinationis: similitudines paratactica ratione significatas et brevia enuntiata causalia parataxi adiuncta, in Bucolicis Vergilii, sicut in Graecis carminibus eiusdem generis, magis appetita esse quam in poesi epica demonstratum est, quaerendum est, studiumne hoc parataxis stilo bucolico aptum in aliis quoque rebus observetur. Reapse aliquot loci in his eclogis inveniuntur, quibus simplicitas notabilior membris eodem ordine coniunctis effecta sit. Ut hoc manifestum fiat, in hac paragrapho proferam ea exempla parataxis nondum tractata, quae insigniora mihi quidem visa sunt; quae vero, cum singula generum nimis variorum sint, per libros epicos et carmina Graeca persequi destiti. Sed haec comparatio ad parataxim recte intelligendam minus necessaria est quam ad res in superioribus capitibus tractatas, quibus *ἀφέλειαν* effici minus per se manifestum est.

Primum hic afferre velim brevia enuntiata primaria simplicitate quadam maioribus sententiis adnexa, quae enuntiatis in paragrapho proxima tractatis similia sunt, nisi quod iis non causa effertur; his locis item poetam hypotaxim plerumque praelaturum fuisse arbitror, nisi simplicitatem stili secutus esset. Cf. hos versus:

3, 102: His certe neque amor causa est: vix ossibus haerent.
nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

ubi verba: „vix ossibus haerent“ pro enuntiato secundario posita sunt;

2, 36: Est mihi . . . fistula . . .
praeterea duo nec tuta mihi valle reperti
capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo;
bina die siccant ovis ubera; quos tibi servo.

ubi potius aliquis miretur ex hoc extremo enuntiato non verba praecedentia pendere; similis est hic locus Theocriti:

5, 104: *ἔστι δέ μοι γαυλὸς κυπαρίσσινος, ἔστι δὲ κρατήρ,*
ἔργον Πραξιτέλευς· τᾷ παιδὶ δὲ ταῦτα φυλάσσω.

deinde conferendi sunt hi versus:

3, 70: Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta
aurea mala decem misi; cras altera mittam.

quo loco hoc enuntiatum adiunctum summam esse ex versibus 68 sq. concludo; addi etiam potest hic locus:

5, 79: ut Baccho Cererique, tibi sic vota quotannis
agricolae facient; damnabis tu quoque votis.

ubi hypotaxis poetae eo magis se obtulit, quod idem nomen „vota“ in utroque enuntiato adhibitum est; similes quoque sunt hi versus:

10, 52: certum est in silvis inter spelaea ferarum
malle pati tenerisque meos incidere amores
arboribus: crescent illae, crescetis amores.

Tum Vergilius in his Bucolicis compluries particulas copulativas „et, atque, que“ ad enuntiata quadam simplicitate aequo ordine coniungenda adhibuit, quibus locis ratione logica potius hypotaxis postularetur. Nonnumquam membrum iis coniunctionibus adnexum pro enuntiato secundario positum esse videtur, cf.:

3, 32: De grege non ausim quicquam deponere tecum:
est mihi namque domi pater, est iniusta noverca,
bisque die numerant ambo pecus, alter et haedos.

in qua re Vergilius hunc locum Theocriteum secutus est:

8, 15: *οὐ θησῶ ποκα ἀμνόν, ἐπεὶ χαλεπὸς ὁ πατήρ μευ*
χἀ μάτηρ, τὰ δὲ μᾶλα ποθέσπερα πάντ' ἀριθμεῦντι.

deinde hic locus afferendus est:

3, 44: Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,
et molli circum est ansas amplexus acantho,
Orpheaque in medio posuit silvasque sequentes.

qui versus comparandi sunt cum versibus 37 sqq., in quibus poeta enuntiatum huic versui 45. respondens pronomine relativo cum verbis praegressis coniunxit; denique etiam in his versibus pro vocabulo „et" pronomen relativum substitui potest:

1, 46: Fortunate senex, ergo tua rura manebunt,
et tibi magna satis, quamvis lapis omnia nudus
limosoque palus obducat pascua iunco.

Deinde loci in eclogis inveniuntur, quibus gradatione quadam aliquid maius altero membro particula „et" coniuncto efferatur quam priore; his prius enuntiatum, nisi *ἀφέλεια* appeteretur, potius hypotactica ratione cum altero, ut puto, coniungeretur; eius generis hi versus sunt:

2, 43: iam pridem a me illos abducere Thestylis orat:
et faciet, quoniam sordent tibi munera nostra.

qui locus imitatione expressus est ex his verbis Theocriti:

3, 34: . . . *αἶγα φυλάσσω,*
τάν με καὶ ἁ Μέρμνωνος ἐριθακὶς ἁ μελανόχρως
αἰτεῖ, καὶ δωσῶ οἱ, ἐπεί τύ μοι ἐνδιαθρύπτῃ.

similiter res se habet in his versibus:

3, 23: si nescis, meus ille caper fuit, et mihi Damon
ipse fatebatur; sed reddere posse negabat.

comparare etiam hunc locum velim:

9, 11: Audieras, et fama fuit; sed carmina tantum
nostra valent . . . tela inter Martia quantum
. . . dicunt aquila veniente columbas.

Tum hi versus memoratu digni mihi videntur, in quibus pro membro aequo ordine adiuncto haud scio an enuntiatum consecutivum magis exspectes:

3, 3: ipse Neaeram
dum fovet ac, ne me sibi praeferat illa, veretur,
hic alienus oves custos bis mulget in hora,
et sucus pecori et lac subducitur agnis.[1])

[1]) Cf. Heyne-Wagner, P. Vergilius Maro, vol. IV⁴, 1832, pag. 558 adn.

Porro in his versibus

5, 88: At tu sume pedum, quod me cum saepe rogaret
non tulit Antigenes (et erat tum dignus amari)
formosum paribus nodis atque aere, Menalca.

membrum particula „et" cum verbis praecedentibus coniunctum munere enuntiati concessivi fungi apparet. Commemorandi esse mihi videntur hi quoque versus:

3, 64: Malo me Galatea petit, lasciva puella,
et fugit ad salices, et se cupit ante videri.

in quibus suavitate et simplicitate loquendi, quae cum re narrata bene congruit, tria membra paratactica pro enuntiatis temporalibus et concessivis posita sunt; id quod non animadvertitur eo loco Theocriti, quem Vergilius imitatus est: id. 5, 88 sq. Neque hos versus negligendos esse censeo:

7, 14: quid facerem? neque ego Alcippen nec Phyllida habebam,
depulsos a lacte domi quae clauderet agnos,
et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum.
posthabui tamen illorum mea seria ludo.

in quibus particula copulativa duo enuntiata, quorum alterum cum priore potius coniunctione concessiva „cum" connectas, coniuncta sunt; quod intelligitur imprimis ex usu vocis „tamen", quae non ad enuntiatum proximum (v. 16), sed ad versus 14 sq. referri debet. Huic loco alium addere liceat, quo contextus sententiarum similis, etsi paulo difficilior, esse mihi videtur:

6, 8: agrestem tenui meditabor harundine Musam.
non iniussa cano; si quis tamen haec quoque, si quis
captus amore leget, te nostrae, Vare, myricae,
te nemus omne canet;

in quibus versibus item non ad verba proxima hoc „tamen" spectat, sed ad versum 8; propterea verba: „non iniussa cano" exstare pro enuntiato causali: „quoniam te iubente cano" puto, quod cum hac sententia: „te nostrae, Vare, etc." coniungendum sit.

Tum parataxis quaedam, quae sane non in aliis carminibus deest, his locis a Vergilio appetita est:

2, 36: Est mihi disparibus septem compacta cicutis
fistula, Damoetas dono mihi quam dedit olim
et dixit moriens:

3, 13: quae tu, perverse Menalca,
et cum vidisti puero donata, dolebas,
et si non aliqua nocuisses, mortuus esses.

quibus duobus locis altera enuntiata eodem ordine coniunctione „et" coniuncta sunt, quae vero sententia tantum, non ratione grammatica ad pronomen relativum respiciunt.

Denique studium quoddam parataxis iis locis animadverti arbitror, quibus de tribus enuntiatis primariis primum et tertium artius inter se sensu quodam cohaerent quam cum secundo; nam apparet hoc sententiae praecedenti aut sequenti eodem ordine solum propterea adiunctum esse, quod hypotaxis stilo simplici minus apta est; exempla huius compositionis sententiarum etiamsi alibi quoque inveniuntur, in his Bucolicis pro rata parte satis frequentia sunt. Conferas velim praeter nonnullos similes locos modo laudatos: 3, 102 sq., 3, 32 sqq., 7, 14 sqq., 6, 8 sqq., hos versus:

2, 25: nec sum adeo informis: nuper me in litore vidi,
cum placidum ventis staret mare; non ego Daphnim
iudice te metuam, si numquam fallit imago.

9, 51: omnia fert aetas, animum quoque; saepe ego longos
cantando puerum memini me condere soles:
nunc oblita mihi tot carmina;

4, 1: Sicelides Musae, paulo maiora canamus.
non omnes arbusta iuvant humilesque myricae:
si canimus silvas, silvae sint consule dignae.

2, 31: mecum una in silvis imitabere Pana canendo.
Pan primum calamos cera coniungere plures
instituit, Pan curat oves oviumque magistros.
nec te paeniteat calamo trivisse labellum.[1])

---

[1]) Versus 31. et 34. tam arte inter se cohaerent, ut versus 32. et 33. Ribbeck interpolatione additos esse iudicaverit.

8, 37: Saepibus in nostris parvam te roscida mala
(dux ego vester eram) vidi cum matre legentem.
alter ab undecimo tum me iam acceperat annus,
iam fragiles poteram a terra contingere ramos.
ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.[1])

His locis dixerim Vergilium, id quod Wilamowitz, l. l. pag. 130 adn. 1 de Theocrito exemplo multo quidem insigniore ostendit, sententias quasi periodo compositas animo concepisse atque deinde simplicis generis dicendi causa enuntiatis eodem ordine coniunctis extulisse.

Sed ut summam omnium, quae exposui, faciam, Vergilium in Bucolicis stilo quodam, qui a sermone epico perspicue differt, usum esse ex iis cognovimus, quae de symmetria hemistichiorum et versuum in Bucolicis appetita, de variis figuris repetitionum libenter adhibitis, de studio parataxis observavimus. Haec, etiamsi praeterea quoque quaedam fore fateor, quibus genus dicendi bucolicum ab epico distinguatur, insigniora esse mihi videntur. Vidimus quoque eadem, quae sermonis eclogarum prae ceteris operibus Vergilii propria sunt, plerumque inveniri frequenter in idylliis bucolicis Theocriti eiusque imitatorum Graecorum, cum in carminibus reliquis eorum multo rariora sint. Cognitum igitur est Vergilium, quem studio Theocriti deditum fuisse inter omnes constat, huic, ut multas res narrandas, ita illa artificia dicendi imprimis Bucolicis apta debere. Quae vero rarius in usum suum ita convertit, ut certum quendam locum Theocriteum imitatione exprimeret, saepius autem adhibuit locis, qui non cum ullo loco Theocriti eadem dictione ornato de sententia congruunt; quamobrem negandum est Vergilium modo elocutionem singulorum locorum pueriliter imitatum esse, sed praedicare possumus in eo quasi in-

[1]) Versus 38. et 41. artissime sententia conexos esse recte admonuit P. Jahn, qui in hoc libello: Die Art der Abhängigkeit Vergils von Theokrit, Fortsetzung, Berlin 1898, pag. 22. audacius quidem contendit Vergilium hos versus 39 sq. postea demum contextui verborum inseruisse.

genium stili bucolici a Theocrito inventi ita revixisse, ut cum libertate adhiberetur. Interdum quoque cognovimus Vergilium quaedam paulo magis aut alio modo usurpavisse atque Theocritum. Quaerentes, quid poetae bucolici illis artificiis appetiverint, intelleximus iis potissimum suavitatem et simplicitatem dicendi sublimiori et graviori stilo carminum heroicorum contrariam effectam esse. Imprimis admonendum est haec stili bucolici propria, quamquam quaedam artificiis rhetoricis similia sunt, nequaquam ex elocutione a rhetoribus exculta petita esse, velut quaedam ab Ovidio libenter adhibita; verumtamen concedi potest Vergilium, qui a rhetoribus instructus esse traditur, ea disciplina magis sibi conscium factum esse operam dandam esse, ut stilum cum rebus et habitu huius poesis congruentem redderet, neque fortasse omnino neglexisse praecepta artis oratoriae de tenui et suavi genere dicendi. Ceterum autem artificia sermonis bucolici minime ad figuras, quae rhetoribus in deliciis erant, nobis referenda esse eo confirmatur, quod similia in carminibus popularibus et quae his propinqua sunt, a quibus sermonem elatum vel doctum alienum fuisse apparet, non raro inveniuntur. *Ἀφέλειαν,* quae talibus carminibus erat, poetas bucolicos assequi voluisse non mirum est neque hoc iis saepe bene cessisse negabimus.

Vita.

Rudolf Gimm natus sum Lipsiae a. d. VII. Id. Oct. anni 1885 patre Arnone matre Mathilda e gente Himmel. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus scholam Thomanam, quae nunc quoque Jungmanno rectore floret, per novem annos frequentavi. Vere anni 1905 maturitatis testimonium adeptus almae matris Lipsiensis civibus adscriptus sum et studiis potissimum philologis me dedidi. Docuerunt me viri illustrissimi de Bahder, Barth, Bethe, Brandenburg, Brugmann, Dittrich, Gardthausen, Gregory, M. Heinze †, R. Heinze, Hirt, Hunzinger, Immisch, Jungmann, Köster, Lipsius, Martini, Marx, Merker, Schreiber, Schulz, Sievers, Studniczka, Volkelt, Witkowski, Wundt, Zarncke, Zimmern. Proseminario philologo interfui Immischio moderante. Benignissime Bethe, Heinze, Lipsius in seminarium philologum me receperunt, cuius sodalis ordinarius per tria semestria fui. Praeterea ad seminarium paedagogicum comiter me admisit Jungmann, ad proseminarium germanicum de Bahder, Köster, Sievers, ad exercitationes philologas Martini, ad archaeologicas Schreiber et Studniczka, ad germanicas Holz. Quibus viris humanissimis ex animo gratias ago neque habere desinam; praecipue vero, quantum Ricardo Heinze, qui summa cum benevolentia meis studiis favit, debeam, semper recordabor. Denique consuetudinem amicorum in thiaso philologorum Lipsiensi multis modis mihi conduxisse laetus profiteor.